SIMONIS SIMONIDÆ
BENDONSKI
LEOPOLITANI
MAGNI IO. ZAMOSCII

A SECRETIORIBUS CONSILIIS

PINDARI LATINI

Opera omnia quæ reperiri potuerunt olim sparsim edita, nunc in unum collecta, ac denuo Typis consignata



PROCURANTE

ANGELO MARIA DURINI

E COMITIBUS MODOETIÆ

PATRITIO MEDIOLANENSI

ARCHIEPISCOPO ANCYRANO



Per utramque Poloniam & Mag: Lith: Ducatum cum facultatibus Legati a Latere

NUNTIO APOSTOLICO.

Plin: Lib. V. Epist. VIII.

Pulchrum imprimis videtur non pati occidere quibus æternitas debetur.

VARSAVIÆ

In Typographia MITZLERIANA

1772.

Cum Plinius in libris naturalis historiæ conqueritur proventum agrorum suo tempore minime ubertati superiorum ætatum respondere: tantam tamque insignem mutationem non exhaustæ, & quasi effœtæ soli naturæ, sed cultorum socordiæ & negligentiæ imputat. Sic etiam si quis diligentius inquirat, cur istius temporis Poetæ ab illa decantata Cochanovii & Simonis Simonidæ *excellentiâ longissime absint, intelliget tandem, non vim ingeniorum vetustate, & quodam temporum senio defecisse aut elanguisse, sed disciplinam & institutionem Juventutis, quam Græci* παιδείαν *appellant, claritudinis & perfectionis omnis originem fontemque esse: quo præciso vel averso virtutem ipsam in hominibus exarescere & aboleri necesse sit.*

Jllustrissimo Excellentissimo

VENCESLAO SIERAKOWSKI

ARCHIEPISCOPO LEOPOLITANO

ANGELUS DURINI

ARCHIEPISCOPUS ANCYRANUS

NUNTIUS APOSTOLICUS.



Oesim VENCESLAE SIERAKOWSKI *Piissime Archipræsul, atque integerrime Senator, sive ea sit ars, sive scientia, seu potius ut sensisse videtur Plato, res multo cæteris liberalibus disciplinis præstantior atque divinior, quæ illas omnes amplectens, illarum etiam omnium utilitates unà hominibus præstet, & carminis ac numerorum dulcedine mirâ animos iucunditate permulceat; vetustissimam esse & nobilissimam, cùm doctissimi Viri memoriæ prodiderunt, tùm ex litteris sacris id liquidò & manifestè apparet. Ex his enim novimus originem duxisse à divino verbi Dei concentu,*



quo

quo Pater universitatem hanc rerum multis numeris vinxit, & versum reddidit. Quam cùm in principio condidit, in Verbo condidit numerose dicente, quæ Pater numeratò repræsentavit; Sancto Spiritu inhalante, & sonum vocum ciente. Atque adeo rerum ordo suis partim vinculis nexus, partim intervallis, distinctus mutuâ vice consensionis, & varietatis concentum quemdam & harmoniam effecit; unde justus hic & numerosus orbis existit, quem versum & carmen Patres dixêre; Hinc in cœlesti Hierarchiâ novem chori. Hinc in Sulamitha Ecclesiæ typo, cum choris castra coniuncta. Ad Intelligentiarum pulsus orbes cœlestes inciti, tenorem carminis servant, & concentum edunt. Verbum ipsum Divinum quod egerat in Patris sinu, præstitit in alvo Matris. Cum eius ore canens Infantem Baptistam intra materni ventris angustias, ire in saltus compulit, libertate motûs carceris angustiis castigatâ: ut Poëtica licentia vincta numeris in eo corporis subsultu appareret. Quid? Ipsum, in quo se Sacramentum, suos Sacerdotes, ac Patres instituit, convivium, hymnus tanti mysterii sigillum, confirmavit. Imo & intentis in Cruce nervis Psalmum Davidicum canens, se

se

ſe concentus magiſtrum exhibuit; ut quâ mundum harmoniâ condiderat, eâ inſtauraret. Jam vero Spiritus ille Sanctus Archiphonaſcos, Prophetarum eorum corda domuit, oraque in verſum preſſit, ut Enthuſiaſmo Vates œſtrum paterentur, & in carmina erumperent. Hóc Moſes, hóc Maria, hóc Debbora, hóc Anna, hóc Judith, hóc Ezechias, hóc Zacharias, hóc Maria, hóc Simeon incitati cecinerunt. Illo Job, Iſaias, Hieremias, Abacuch ſpirante, ſtatum Poëtæ prodierunt. Salomonis ſapientia orbe cantici coronatur. David non cantor modò & modulator, ſed totus harmonia & vox fuit. Idem Numen Eccleſiam afficit agitque in cantus; præcentrix illa Triumphantis eſt, & cum Chriſto Leone militans, Agno Chriſto præludit. Tota vocalis & muſica, per omnes ſacri corporis partes in verſus erumpit. In quibus quidem legendis neminem opinor, tam immanſuetum, tam ferum, tam prorſus lapideum, qui non intimis ſenſibus permoveatur, ac ab hiſce terrenarum rerum cogitationibus ad cœleſtium, & Opificis Dei contemplationem non rapiatur. Poëtas igitur cùm dico, non eos intelligo, qui dum obſcœnis ſuis carminibus divino hoc Poëtices munere abutuntur, juvenum

 animos

animos inquinant, nefariisque, & flagitiosis appetitionibus imbuunt, quos & leges coërcent, & ab urbibus exclusisse Platonem crediderim; sed eos, qui non solùm doctrinæ eruditione, & candore styli legentium ingenium acuunt, judicium augent, & sermonem expoliunt; sed etiam virtutis & probitatis à se laudatæ præconio animum, ad honestas præclarasque actiones excitant, tum verò innocentis vitæ exemplo ad benè, beatè, piequè vivendum incendunt. Quales (ut Græcos, veteresqae Latinos prætercam) fuêre apud Hebræos ii, de quibus supra attigimus, & apud meos Italos: Jacobus Sannazarius, Hieronimus Vida, Antonius Flaminius, paucique alii nonnulli, (exiguus enim semper in omni ævo summorum Pòëtarum numerus fuit) qui omnes quanto in pretio fuerint, notius est, quàm ut meo, aut cuiuscumque egeat testimonio. In horum paucitate, si quis alius, mihi maximé dignus numerari videtur Simon Simonides *Leopolitanus. Cuius Opera Poëtica omnia, sive ad res sacras, sive ad civiles pertinentia ita eleganter, ita luculenter, ita suaviter confecta, ut Numine dictante excepisse videatur. Quod verò admirationem auget, scripsit uno eodemque tempore*

tum

tum Latinâ, tum Polonicâ linguâ, ſic, ut cum utrâque excellat, dubium ſit utrâ magis polleat. Sed de Polonicis Simonidæ carminibus aliquot abhinc annis editis ſententiam dicent eruditi Poloni. Quid de Latinis ſentiam ego, Italus, atque in hoc ſtudio non prorſus hoſpes, dicere non alienum nunc exiſtimo; ac mihi quidem in Simonidæ omnis generis poëmata intuenti, haud ſatis liquet in quibus magis emineat: adeo ſe ſe in unoquoque perfectum, atque omnibus eloquentiæ numeris abſolutum oſtendit. Quis enim in inveniendo acutior, locupletior, recentior? Quis in conſtituendo compoſitior, aptior, accomodatior? Quis in eloquendo luculentior, ſplendidior, illuſtrior? Numerorum certe ea varietas eſt, id artificium, is concentus, ut legentium animi inſolitâ ſuavitate perfuſi, omni ſe ſentiant dulcedine liquefieri. Quid dicam de decore rerum, perſonarum, temporum, & locorum ſervando? in quo Simonides adeo & perſpicax, & vigilans eſt, ut nihil quicquam ne criticis quidem relinquat, quod deſiderari, aut reprehendi meritò queat. Illud minimé prætermittendum, quod cum Simonides ſui naturâ ſemper in ſublime feratur, tamen demittit ſe aliquando ad Epithalamicos amores cantan-

dos



dos, eâ tamen adhibitâ cautione, ut nihil unquam scurrile, nihil sordidum, nihil civili temperatoque homine indignum effutiat, sed semper sui, hoc est, honestatis memor; omnia plena pudoris, plena verecundiæ, plena gravitatis, & dignitatis enunciet. Sed nec silentio prætereundum, (quod imprimis dicendum fuit) Simone Simonide neminem magis Relligionem coluisse, neminem Patriam charitate ardentius prosecutum esse, neminem in Dominos suos & amicos, & fide, & officiis constantiorem fuisse. Sed singulares huius Poëtæ dotes in sequenti præfatione fusius persequor; hoc uno tantum addito hic concludo, Simonis Simonidæ carminibus, doctorum, & bonorum omnium consensu nihil esse perfectius, exactius, absolutius: itaque illi quàm paucissimos comparari posse, neminem anteponi debere. Huiusmodi ego Poëmata in lucem emissurus mea quidem sponte, & sumptu, non abs re me facturum putavi, VENCESLAE *Archipræsul Optime, si quò gratiora omnibus forent, Tui Nominis inscriptione ornarem, & veluti nova luce illustrarem; quandoquidem in Te uno omnia Antistitum ornamenta conspiciuntur; atque ille es* Bonus Pastor, *qui summi Pastoris imitatione,* animam suam

dat

dat pro ovibus ſuis, *in eamque curam dies, no-ctesque incumbis, ut in populis fidei Tuæ commiſ-ſis Chriſti Dei Fidem ab omni labe puram, inte-gramque conſerves.*

Tu fontes liquidos, lætaque paſcua,
Tu infirmo pecori das medicamina,
Sanans quod fuerat corpore morbidum,
Lacte & vellere ut affluat.
Tu poſt TE populos eloquio trahis
Dulci; dum loqueris blandius Orpheo
Illis verba Dei, verba ſalubria
Suavi plenaque nectare.
Tu Lumen rutilans in medio atrii
Tu montis poſita in vertice Civitas,
Tu Sal terræ avidum, Tu ſpeculum nitens,
Exemplarque Viri integri.

Hæc ſunt illa Laudum Tuarum ornamenta, non omnia, ſed præcipua, quæ omnibus cognita, hic commemoro, ut omnibus planum faciam, quàm jure & merito Simonis Simonidæ carmina Tibi inſcripſerim. Sed nec defuit alia etiam cauſa, quæ

me

me, ut hoc facerem, impulit. Cum enim Simon Simonides fuerit Leopolitanus; neminem videbam, cui rectius, & decentius quàm TIBI ARCHIEPISCOPO LEOPOLITANO inscriberetur. Nunc reliquum est, ut Simonem Simonidam per me redivivum, Patrocinio TUO tuearis, meumque erga TE Piissime ARCHIPRÆSUL obsequium boni consulas. Deus Optimus, Maximus TE Russiæ Populis conservet,

Detque TIBI corpus vegetum, viridemque senectam;
Floreat atque TUUS Grex, & TIBI credita Tellus.

Scribebam Varsaviæ Mense Maio 1772.

IN OPERA



IN OPERA POETICA
SIMONIS SIMONIDÆ BENDONSKI
ANG. DURINI ARCHIEPISCOPI ANCYRANI
NUNTII APOSTOLICI
PRÆFATIO
AD INCLYTAM IUVENTUTEM
POLONAM.

QUantum momenti remotior Antiquitas eſſe iudicaverit, ad hominum vitam regendam, moresque conformandos in ſeverâ ſcelerum vituperatione, recte autem & fortiter factorum commendatione luculenta, ſatis demonſtrant funebres illæ Orationes olim in exequiis illuſtrium Virorum haberi ſolitæ, quas & Græcia inſtituit, & Roma (*a*) ita ſolemniter uſurpavit, ut ſæpe ipſi Imperatores, minime auguſto illo Romanæ Maieſtatis faſtigio indignum eſſe exiſtmaverint: quibus in Imperio ſucceſſores fuerant, eorum res præclare geſtas principali facundiâ exornare. Sed Encomiorum omnium, ſive ea mortuis ſeu viventibus tribuenda ſint, duo ſunt genera: Quædam enim ſoluta oratione explicantur, quædam vero carminibus, numeroſisque vocibus, quaſi invecta & incitata, vehementi-

(*a*) Romana lex de ſpectatis fœminis, perinde ac de viris, poſt mortem haberi panegyrin, easque pro dignitate laudari iubebat; quo virtutis præmio aliæ commoverentur,

mentius ad hominum aures, ſenſusque perferuntur. Prioris generis Panegyricæ orationes multæ & Græcâ linguâ & Romanâ conſcriptæ adhuc extant; poſterioris habemus Homeri, & Pindari Hymnos, quibus in Græciæ Theatris atque congreſſibus decantatis, mirum in modum erudita illa Natio delectabatur. Atque hæ duæ laudationum ſpecies, ut in multis conveniunt, ita etiam in nonnullis discrepant. Eam autem arbitror eſſe diſcrepantiam inter ſolutam orationem, & verſum, quæ inter ſimplicem oris noſtri ſonum, tubæque clangorem percipitur ab omnibus. atque exauditur. Nam quemadmodum ſpiritus noſter longe edit clariorem ſonum, cum illum tuba per flexi æris cornua atque anguſtias tractum patentiore noviſſime exitu effundit, ſic animi noſtri conceptus clariores atque altiores conſtrictâ illâ & modulata carminis neceſſitate efficiuntur. Ac neſcio quo fato id eveniſſe dicam, ut quibus temporibus famoſa bella a Regibus, aut Rebuspublicis terra marique geſta ſunt, iisdem etiam Poetæ excellentes pœne divinitus excitati extiterint, ad eas res, quæ tum gerebantur, verſibus concelebrandas, & in æternam poſteritatis memoriam propagandas; quâ in re demonſtranda nullum opinor ex Scriptorum monumentis nec clarius, nec antiquius argumentum erui poteſt vetuſtiſſimâ illâ expeditione Argonautarum,

(*b*) *Vellera qui Myniis nitido radiantia villo*
Per mare non notum primâ (c) *petiere carinâ.*

cui

(*b*) Ovidius in Metamorph.

(*c*) Navis omnium prima mari credita, qua Jaſon cum quinquaginta quatuor heroibus in Colchum navigavit rapturus vellus aureum. Navim Argo dictam volunt vel ab Argo artifice, vel ab Argivis ſeu Græcis remigibus. Palladia vocabatur quia Palladis ope ſtructa. Dodonæa etiam dicebatur a Dodone ſylvâ, ex quâ compacta fuit; cuius arbores olim cum oracula redderent, navis ipſa vocalis dicta eſt. poſt expeditionem in cœlum ſubducta.

cui militiæ cum certatim omnes, qui tum appellabantur Deorum filii, nomen dedissent, illi ipsi Orpheum Poetarum omnium Parentem socium voluerunt, sine quo labores omnes suos, quamvis admirabiles, temporis tamen fugâ perituros, tandemque in obscuro futuros existimabant. Post res Colchicas, atque, ut cum Manilio loquar:

Semideum Navim quæ nunc quoque navigat astris.

sequutum est bellum Troianum ab iis Ducibus administratum, quorum parentes sub Jasone vellus aureum armis repetente, ordines duxerant. Nec vero patribus ab Orpheo collaudatis, filiorum gloriæ Phemius, & Demodocus Poetæ egregii defuere; quin etiam ipsum Mæonidem

- - - à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

nonnulli authores Iliacæ obsidionis, bellique & scriptorem, & spectatorem fuisse memoriæ prodiderunt. Cum vero bello Troiano Victores Argivi & decus sibi atque otium peperissent; nullo, vel formidoloso, vel valde memorabili bello à Barbaris petiti sunt, usque ad Darii, Xersisque Regum imperia, qui cum dominationem suam, ut scribit Herodotus, non montibus, nec fluminibus ullis, sed cœli ambitu ipso definire, & terminare statuissent, per Legatos superbe admodum a Græcis universis aquam terramque poposcere, quorum Elementorum utrumque non paucis offerentibus, aliis autem fortiter denegantibus bellum illud Persicum periculosissimum exarsit; cum Persæ innumeras Asiæ Nationes in partes traxissent; Græci autem ad commune ius libertatis defendendum Siculorum, atque Italorum auxilia implorare cogerentur. Atque ab hoc illis tantæ servitutis discrimen, quatuor pedestribus præliis sane memorabilibus depulsum est, unaque potissimum illustri pugna navali Salaminia. Quo quidem tempore ne tot fortibus, & bellicosis viris *magnæ animæ prodigis & pro*

Patria non timidis mori, graves, & canori Præcones deeſſent, Euripides, Æſchylus, Simonides, Archilochus, Bacchillides, Pindaruſque viguere. Perſarum ſic dominatione omni impulsâ proſtratâque, Alexander Macedonum Rex pulcherrimæ expeditionis Dux conſtitutus eſt, qui cum non minus litterarum ſtudio, quam bellorum cupiditate flagraret, arma illa invicta toto orbe circumferens, atque, ut ait Poeta æſtuans *infelix anguſto limite mundi*, non Centuriones tantum & Tribunos in comitatu habuit, ſed Poetas celeberrimos ſcriptores rerum ſuarum: quorum ingeniis aliquid ſublimius deſiderans, Achillem hoc uno ſe feliciorem fuiſſe dixit, quod (*d*) laudatiſſimo Homeri Poemate commendatus ubique claruiſſet; unde illud Silii Italici

Felix Æacida; tali cui contigit ore
Gentibus oſtendi: crevit tua carmine virtus.

Alexandro mortuo Imperium illud infinitum a Proceribus primum diſtractum eſt, tandemque occupatum a Romanis omnium Gentium Victoribus, apud quos cum militari diſciplina ars quoque Poetica inventa & exculta eſt, atque in ſummo honore, & pretio habita. Hinc Romani illi Heroes in epulis accubantes, clarorum & fortium Virorum laudes verſibus mandatas canere ad tibiam conſueverunt. Hinc (*e*) Ennii ſtatua ad ſepulchrum Scipionum viâ Appiâ:

(*d*) Alexander Magnus inter ſpolia Darii Perſarum Regis, ungventorum ſcrinio capto, quod erat auro gemmiſque ac margaritis pretioſum varios eius uſus amicis demonſtrantibus (quando tædebat ungventi bellatorem, & militiæ ſordidum) immo, Hercules inquit, librorum Homeri cuſtodiæ detur, ut pretioſiſſimum humani animi opus, quam maxime diviti opere ſervaretur. Plinii verba ſunt.

(*e*) Eius ſepulchri Elogium inſcripſit Cicero his verſibus.

Aſpicite o Cives ſenis Ennii imaginis formam:
Hic veſtrum panxit maxima facta Patrum.

Et alibi loquentem idem Cicero ſic inducit Ennium.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit; cur? volito vivus per ora Virum.

viâ Appiâ: de quo hoc olim legi Epigramma recentioris Poetæ ex inclyta Theatinorum Familia

Scipiadum ad cineres insculptam marmore vivo
Vatis Apollinei cernitis effigiem.
Ennius iste, gravis vultu, niveâque verendus
Canicie, Aonidum gloria, amorque chori:
Heroas cecinit, magnorum & facta Quiritum;
Crevit & eximio a Vate Latinus honos.
Scipiadum illustres animæ, queis gloria curæ
Vel fictum ad cineres Hunc voluere suos.
Hoc præsente putant revirescere nomina, quodque
Mors delet, Musis hunc reparare suis.

Julius autem Cæsar Augustus, qui magnitudine rerum suarum terræ totius habitabilis imperium complexus est, Publium Virgilium *(f)* Maronem non cognitione tantummodo dignum existimavit: sed præmiis etiam & honoribus amplissimis affecit: Cui quidem tantæ & tam admirabili summi Principis beneficentiæ gratiam Poeta omnium ætatum præstantissimus referens, unum id clarissimo Æneidos opere potissimum egit, & studuit, ut Cæsares & Iulios a nobilissimo Æneæ Iuliique sanguine ortos, & iam inde ab infinita annorum serie universo terrarum orbi admini-

(f) Quanta fuerit æstimatio Poetarum Aug. Cæsaris exemplo constat, qui a Reip. negotiis feriatus duorum Poetarum gaudebat contubernio, Maronis & Flacci; licet alter lacrymis & oculis lippis, alter suspiriis & tussi Imperatori gravis esset. Nec mirum, cum Poesis prima Veterum Philosophia fuerit & sapientia. Quare nec fero illos, qui nullo offenduntur magis quam Poetæ nomine, quod adeo venerabile est, ut omnium dignitatum & appellationum titulos transcendat. Legimus, & Metellum illum pium, Poetis etiam ineruditis aures suas dedisse, qui res a seipso gestas utcumque canerent. Cicero autem cum a cantoribus versus quosdam ex Virgilii Eclogis recitare audiret, in hæc verba erupit

Magnæ spes altera Romæ.

significans, ipse ut latinæ linguæ spes prima fuisset, ita secundam futurum ;Virgilium.

administrando per oracula, sortesque antiquissimas destinatos ostenderet. Itaque cum Homerus amplissimam, & maxime diuturnam Iuliorum & Cæsarum potentiam in terris fore præsagisset his versibus

Ἡ δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει
Καὶ παῖδες παίδων, τοίνυν μετόπισθε γένωνται.

Illos ipsos ita in Æneidem suam Virgilius transtulit.

At domus Æneæ cunctis dominabitur oris
Et nati natorum & qui nascentur ab illis.

Quis nescit Populum Romanum Vniversum Virgilio in Theatro recitanti tamquam Imperatori assurrexisse; Cornelium Gallum ab Augusto Tribunum, Silium Italicum a Domitiano ter Consulem creatum, Saleium Bassum a Vespasiano quinquaginta donatum sestertiis; Martiali Sertinium, Claudiano statuam erexisse Arcadium, & Honorium; Opiani versus nummis aureis exæquasse Antoninum. Carolus autem Magnus, postquam Imperium Romanum trecentesimo iam & trigesimo anno in Italia prostratum ac Barbarorum insolentia misere conculcatum denuo erexisset, & quod longe omnium primum est Christianis Ritibus, & moribus firmasset, corroborassetque ditioni suæ adiunctis Galliis, Hispaniis, Pannoniis, Germania, Italia, Britanniâ, Dalmatiâ, aliisque Europæis Gentibus bellicosissimis: duo in orbe terrarum maxime insignia Gymnasia, Bononiense scilicet, & Lutetianum instituit, eaque undique accersitis, & liberalissime invitatis ingenuarum artium literarumque omnium magistris instruxit, atque exornavit. Nec desunt etiam, qui scribant illum ipsum tot Imperii, Regnique negotiis implicitum, antiquissima quædam Gallorum carmina, quibus priscorum Regum, Ducumque res illustres celebrabantur, publice cantanda in vulgus edidisse. Prætereo pæne innumerabiles in omni Poeseos genere præstantes Viros sub Leone X. e mea Italia *artium*

adinven-

adinventrice, & magiſtra Doctrinarum: E Gallia ſub Franciſco I. ſcientiarum eximio, & munifico altore: Vt ad illum tandem deveniam, cuius causâ qualiscumque mea hæc ſermocinatio præcipue ſuſcepta, *Simonem*, nempe *Simonidem* Leopolitanum, quem ego divinitus excitatum arbitror ad Stephani Bathorei Regis Poloniæ inclyti, Magnique Joannis Zamoſcii Reip. Pol. Exercituum Præfecti facta condecoranda iis verſibus, qui Veterum Græcorum, Latinorumque carminum gloriam, & verborum ſplendore, & ſententiarum gravitate, & numeroſo ipſo concentu facile adæquarunt, quibusque tandem effectum eſt, ne ulterius ſuos Jovianos, Actios, Politianos, Lampridios, Flaminios Italiæ, Macrinos, Auratos, Hoſpitalios, Baifios, Bellaios Galliæ; Camerarios, Melanchtonios, Sabinos, Lotichios, Meliſſos Germaniæ invideret Polonia. Etenim nemo Poetarum quod ſciam melius, quam *Simon Simonides* calluit Poeſim ab otioſis & futilibus nugis, quæ nativam illius (*g*) nobilitatem nimium quantum infamant, ad ſublimiora humanæque felicitati profutura argumenta revocare, atque ad utiliorem morum, vitæque diſciplinam traducere. Quod ſi ſingula eius carmina diligenter excutiamus,

B in omnibus

(*g*) Si verum amamus, id ſane fateamur neceſſe eſt Poeticam artem a Philoſophia non inſtituto, ſed tempore & ortu, non rebus, ſed numeris & modis ſeiunctam & ſeparatam eſſe. Quod cum ex Vatibus aliis tum præcipue ex Homero Poetarum omnium Principe & Parente cognoſcere facillimum eſt, qui nec nobis Agamemnonis gravitatem, neque Achillis præcipitem iracundiam, neque Ulyſſis prudentiam, neque Therſitæ temeritatem, neque Hectoris robur, neque Paridis mollitiem, neque Neſtoris ſapientiam, neque Aiacis & Diomedis magnanimitatem per totum Poema ſuum ob oculos poſuiſſet, neque facta præclara miris in cœlum laudibus extuliſſet, neque flagitia in bello aliisque locis admiſſa toties vituperaſſet, niſi muſico illo & modulato genere ſcribendi, id ipſum quod Philoſophi poſtea conati ſunt, iam tum aſſequi ſtuduiſſet: ut ſcilicet homines vitiorum quaſi deformitatem exoſi, univerſæ honeſtatis pulchritudinem cupide ſpectantes adamarent. Unde Græci Filios ſuos potiſſimum poetis erudiendos tradiderunt, ſolos nimirum illos ſapientes iudicantes.

in omnibus nihil fere, nisi grave & serium, & Juventutis moribus conformandis valde necessarium contineri inveniemus. Longissime enim abfuit *Simon Simonides* ab illa Poetarum fere omnium improba opinione, qui tum maxime dicendo splendere censent cum amore vesano ardent, tum acutissimi esse, cum tela Cupidinis acuunt, tum acerrimo videri ingenio, cum hoc indulgent genio. Ergo nulla suavitas erit Poetæ nisi delibuta veneno? nulli horti, nisi Adonidis? nulla voluptas, nisi adspersa cœno? non afficiet animum, nisi etiam inficiat? At hæc in Epicuri gurgustiis disputent non in Musarum sacrario.

Casta placent Musis.

Vidit hoc Theocritus cum dixit nihil hominem ab omni illecebra revocare magis, quam Musarum cantum; Hinc illa non magis decora fabulis, quam significatione vera, Sirenes, blandas illas voluptatum conciliatriculas a Musis cantu fuisse superatas, pennis etiam evulsis, ex quibus coronam sibi Musæ confecerint. Vidit & *Simonides* noster, ex cuius carminibus quid honestum, quid turpe, quid utile, quid inutile, quid fugiendum, quid optabile sit

Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit. Horat.

Atque hæc, quæ diximus in rebus ipsis elucent, in verbis autem & numeris *Simonidæ* tantus est splendor, tanta gravitas, tanta sublimitas, & grandiloquentia, ut eum (quod Horatius de Pindaro) violentissimi torrentis more incitatatum ruere, omniaque sibi obvia rapere secum, & auferre dixerim. Non prætereunda est hoc loco Aristotelis verissima sententia, qui de arte Poetica scribit, excellentis Poetæ, summum artificium esse *τὰ πράγματα τίθεσθαι πρὸ ὀμμάτων* hoc est omnia ita luculente describere, ut quæ narrantur non recitari, sed potius fieri coram gerique videantur. Huius tam egregii operis sibi gloriam & palmam suo quodam iure *Vates Leopolitanus* vindicat.

Argu-

Argumento ſunt loca plurima, ſive in Epithalamio Sigismundi, ſive in Caſto Joſepho, ſive in Hercule (*h*) Prodicio, in quibus res non tam commemorantur quam quaſi in tabula effictæ, pictæque proponuntur; Quod vero in ſupradictis *Simonidæ* Poematibus, id per alios omnes hymnos æqualiter ſparſum & diffuſum reperietur. Quæ omnia cum apud me ſæpiſſime reputarem, & conſiderarem operæ pretium me facturum, deque inclyta Polonorum Gente bene meriturum exiſtimavi, ſi *Simonis Simonidæ* carmina omnia, quæ poſſem, diſperſa colligerem, & quaſi in unum corpus compacta ex tenebris Bibliothecæ Zaluſcianæ & Cracovienſis Academiæ eruerem, inque illam lucem proferrem, quam obtrectatores atque æmuli Eiusdem perpetua nocte involvendam obruendamque flagitioſe curarunt. Nec vero defuturos ſcio, qui me ad ſtudia ſeveriora (*i*) revocent, noſtramque operam & induſtriam melius in aliquo Theologo, quam in *Simone Simonida* in lucem protrahendo collocari potuiſſe exiſtiment. Verum enim vero ut perſonæ, quam ſuſtinemus, nonnulla alia magis convenire & congruere fatemur, & ne illa ipſa aliquando attingere liceat, minime nobis interdictum putamus: ſic *Simonianam* Poeſim rerum gravium & magnarum cognitione abundantem, ad vitæ communis uſum ſpectare imprimis & pertinere arbitramur. Ac ſi Gregorius Nazi-

(*h*) Humanæ vitæ ſpeculum, hocce Simonidis carmen iudico, utpote ex quo omnis illa, non ſolum cognoſcatur, ſed quomodo inſtituenda, quæ eligenda, quæ omittenda, intelligatur.

(*i*) Ea fere hominum conditio eſt, ut quotidianam ſapientiæ proffeſſionem ſuaviore otio diffindere ament, & poſtquam ſerii fuere cupiant in amœniora ſecedere. Huic in deliciis exotica ſunt, & ex alio orbe allatus Simius, Pſittacus. Illi teſtacea, conchæ, cochleæ diem trahunt. Alios Veterum Græcorum & Romanorum utenſilia occupant, Lychni, fibulæ, pelves, urnæ, numiſmata. Sunt, qui felicitatis ſuæ ſummam ponunt canibus imperare atque Equis, alii fritillis indulgent: mihi duæ maxime arrident. Philoſophia & Poeſis. Illa ſeria & ad vitæ uſum faciens, hæc magis ad oblectationem.

us Nazianzenus ſcriptis Poetarum mire delectatus eſt, & ipſe etiam ſuorum carminum volumen poſteritati reliquit, ſi Jo. Chriſoſtomus Ariſtophanis Comœdiis noctu etiam pro pulvino uſus legitur, ſi Euſthatius in Homerum ſcripſit Commentarios, ſi Baſilius Cæſarienſis, adoleſcentes ex Poetarum ſcriptis multum proficere & poſſe, & debere docet: Si Clemens Alexandrinus, & Euſebius in difficillimis etiam de Deo (*k*) quæſtionibus illuſtrandis, confirmandisque Poetarum gnomas adhibuerunt; Si denique Ambroſius, Prudentius, Damaſcenus, Paulinus, Proſper, Sadoletus, Bembus, Urbanus VIII. Alexander VII. atque hoc noſtro ævo Cardinales Melchior Poliniacus in Gallia, Angelus Quirinus in Italia, in Poeſi canitiem ſuam oblectavere, non video, cur vitio verti debeat mihi Nuntio Apoſtolico, quod *Simonem Simonidam* Poetarum omnium, quos peperit Polonia, Principem deveneratus fuerim; ſtatuerimque ad Polonici nominis gloriam, literarumque utilitatem prælo committere, cuius Poeſis tot verborum, ſententiarumque luminibus diſtincta & ornata eſt; tanta rerum illuſtrium multitudine locupletata, ut in ea cum gravitate ſuavitas, cum voluptate & delectatione utilitas certare & contendere videatur: neque illud improbandum in Odis Dytirambicis iſtius Vatis excellentis, quin potius prædicandum eſt, atque imitandum, quod ſæpe inſtituto ſermone abrupto quaſique derelicto in aliarum rerum magnarum certe, & cognitione dignarum vacua ſpatia libere vel potius

(*k*) Ephrem Syrus a Theodoreto laudatur, qui ad eius ſæculi corruptelas reprimendas, & ad hæreſes profligandas de rebus divinis Odas conſcripſerit. Ac mihi Græcorum & Romanorum ſtudia antiqua memoria repetenti vix ullus in cæteris artibus & ſcientiis reconditis præſtans Vir occurrit, qui non ſeverioribus aliis ac maioribus ſtudiis hanc Poeticæ facultatis ſuavitatem, & hilaritatem aliquando aſperſerit. Tales fuere apud Græcos Solon, Plato, Ariſtoteles; apud Romanos, M. Tullius, M. Varro, uterque Plinius, aliique complures omnium ætatum & Regionum.

tius licenter excurrit. Enim vero longiusculas illas digressiones, quas Græci appellant ἐκβάσεις, ut a Pindaro, sic & *a Simonide* nostro usurpatas fuisse existimare debemus, partim ut hoc genere scribendi Lectorum fastidium vitaret, partim ut diversarum rerum, sententiarum, historiarum, fabularum coacervatione furoris, & cuiusdam divini afflatus opinionem sibi artificiose quæreret: in quo quidem artificio adeo feliciter imitatus est Pindarum, ut Thæbana lyra quasi hæreditario ad eum iure pervenisse videatur. Et si contingeret, ut cum iis, qui recentiorum Poetarum Latinorum Principes habentur in Italia, Gallia, Germania, aliisque Regionibus excultis in contentionem de Principatu veniret; profecto in inveniendis rebus, iisque verborum, sententiarumque luminibus illustrandis, omnique apparatu poetico instruendis neminem non metueret; quin & meo quidem iudicio longo intervallo omnes post se relinqueret. Quare non possum satis intelligere, quomodo Tantus Vir, quem Lipsius sui sæculi Varro, inter Poetarum apices posuit, quem magnus ille Heros Jo: Zamoscius baltheo Equestri, quem CLEMENS VIII. Pontifex Maximus laurû Poeticâ ornavit, quomodo, inquam, illa vis ingenii, doctrinæ admirabilis, ac prope divina ad Poesim indoles Pindaricam notitiam effugerit Renati Rapini Poetæ eximii, atque in æstimandis Poetarum ingeniis iudicio prudentiaque præstantissimi, qui in suo de Poetis (*l*) commentario nullam prorsus mentionem facit de *Simone Simonida*, quem si agnovisset certe suo *Sarbievio* & sublimiorem & puriorem invenisset: Non enim credibile est Renatum Rapinum,

(*l*) Parmi les Lyriques Latins des derniers siecles, j'en trouve trois qui se sont distingués des autres. Casimire Sarbiewski Polonois, Duncan de Cerisantes, & Magdalenet tous deux François. Sarbiewski à de l'elevation, mais sans pureté. Magdalenet est pur, mais sans elevation. Cerisantes a joint dans ses Odes l'un & l'autre. Rapin T. II. des reflexions sur l'Eloquence, la Poetique &c. Amsterd. 1693. 8. p. 208.

Rapinum, utpote erecti Vir ingenii, laborasse tam stultâ philautia atque ut ita dicam, hæresi quorumdam hominum caudato Pavone superbiorum, qui nullas alias merces æstimant nisi suas, nulli alii vino hederam suspendunt nisi suo: cum de *Sarbievio* Societatis suæ *Pullo atque Delicio* non veritus sit pronunciare:

Sarbiewski à de l' elevation, mais sans pureté.

Cui sententiæ Daniel Morhofius atque alii subscripserunt, addentes illud etiam, quod *Sarbievius* affectaverit Metaphoras nimis audaces, quod antithetis non utatur tantum sed abutatur, quod subobscurus, quod stylo afro sæpe scribat, non Romano: quæ vitia, equidem nemo cui *mamilla salit, & Italum acetum est in pectore*, inveniet in *Simone Simonida.* Candor, polities, lepos, nitor minimum sunt in illius Poesi. At vero seria eruditio, sententiæ crebræ ac graves, mira ubique sanitas sensuum, & per totum carmen, veluti sangvis per universum corpus diffusa naturalis quædam gratia atque iucunditas lectores probos non minus capiunt, non secus afficiunt quam Poetæ Veteres, Pindarus atque Horatius: Omitto omnem illam stupendam artem, quâ se noster *Simonides* tam ingeniose Lectorum animis insinuat, iisque motus suos & affectus inspirat, & genii sui vim per omnia extendit; quæ sane totidem artis miracula censeri debent, neque a mediocribus ingeniis capi possunt. Nam maioris est acuminis & iudicii illa in carmine videre, quæ bona sunt & excellentia, quam quæ minus perfecta & vitiosa; quia manifestius oculos percellunt nævi quam virtutes, quæ levi negotio fallunt plebeias mentes, neque percipiuntur, nisi ab erectioribus. Sed ut statuatur aliquid certi de *Simone Simonida* deque *Casimiro Sarbievio,* necesse est observare discrimen inter huius & illius *characterem*, plurimum enim inter se differunt. Nam quam studiosus est ornamentorum *Sarbievius*, tam

parcus

parcus eſt *Simonides.* Iſta nobis diſcrepantia certum ſignabit diſcrimen inter genium uniuscuiusque. Nonnulli ſe acres Criticos venditant & de *Simone Simonida* iudicare audent, qui neque ſcandere callent illius Odas, & nunquam ſcire potuerunt, in quo conſiſtat excellens illa virtus ingenii & iudicii huius Poetæ, quâ *Sarbievium* facile ſuperavit. Ego quidem in his ſtudiis non prorſus hoſpes quique a duobus annis, *Simonem Simonidam*

Nocturnâ verſoque manu, verſoque diurnâ.

nihil in eo æque admiror, quam ſobrietatem illam ornamentorum ſtupendam, quâ nihil effert, niſi quod efferri debet, ſemperque credam ab hac parte *Simonidam* eſſe conſiderandum. Premenda ſunt propius eius veſtigia, ſi quis diſcere velit parſimoniam illam multa dicere, atque prudentiſſimam eſſe: imo ſiquis ſenſum recte penetrare poteſt, non minus interdum admirabitur, ea quæ reticuit, quam quæ dixit: Et certe prudentia *Simonidis* tam grandis fuit, ut ſibi (*m*) moderari potuerit, & temperare in ardore *imaginationis* incenſæ a genio equidem maxime Poetico maximeque afflato. *Sarbievium* ſi conferas inſanum & furioſum dicas, deſtitutumque illa maturitate iudicii, quâ regnat *Simonides*, quem hac in re comparo Exercituum Duci, qui in medio igne & pulvere, & fumo, inter armorum ſtrepitum, turbarumque clangorem, ad nullam rem attendit, quam quæ a prudentia dictatur. Quod certe magnorum duntaxat Virorum eſt & conſummatæ ſapientiæ, qualis fuit illa *Simonidis*, qui in ipſo furoris Poetici ardore nihil dicit, quod dici non debeat, & plus ſemper cogitandum relinquit, quam quod dicit. Habet forte *Sarbievius*

(*m*) Hinc Vida in arte Poetica, hæc habet de furore Poetico
Ne tamen ah nimium, Vates concede calori
Siſte furentem animum fræno, & ſub ſigna vocato
Et premere, & laxas ſcito dare cautus habenas. &c. &c.

bievius quædam argutiora, quæ oculos ritu fulminis citius feriunt, quæ ſi acuto oculo conſideres, illico dicas, non omne id eſſe aurum quod lucet, ſimiliaque tibi videbuntur illa in ſpeciem maxima ornamenta geniis quibuſdam, qui noctu mortalibus illudunt. Apparent enim armati Herois inſtar, ſtringunt gladios, protendunt frameas, mox ubi propius ſucceſſeris, & tetigeris aereum fucum deprehendis. Ut paucis dicam; tota illa ornatuum moles leve frigidumque negotium eſt, poſſisque dicere de illa, quod nuper quidam de Magnate uno, homine valde ab extra ſpecioſo: Si adimas veſtis & comæ luxuriem, haud diſſimilem fore cæteris mortalibus: Etenim ſi *Sarbievio* demas exaggeratam & inſolentem illam Epithetorum & translationum pompam ſimilis ſæpe erit reliquo Poetarum gregi. Porro nunquam iſtæ affectatæ Veneres placere poſſunt cordatis Viris: quocumque enim loco ponas male illis convenit cum reliquo corpore, quia nimis eminent, quod tanta cum bile ſui Ævi Declamatoribus obiicit ille boni ſaporis Criticus apud Petronium. *Inanibus ſonis*, inquit, *ludibria quædam excitando effeciſtis, ut corpus orationis enervaretur & caderet.* In cauta autem prudentia atque admirabili ornatuum parſimonia oſtendit ſeſe verus *character Simonis Simonidæ* leviter tranſeuntis materias ſuas, ut Viator feſtinans; generoſo delectu recidit quidquid luxurians eſt & (*n*) ſuperfluum, ut nihil prorſus retineat, quod non ſit neceſſarium: Non diſſimili modo, laudat Plinius celebrem illum Pictorem Timantem. *Timanti*, inquit, Cap. X. Lib. XXXV. *plurimum adſuit ingenii; in omnibus operibus eius*

(*n*) Quintilianus, nimium ingenii ſui amatorem vocat Ovidium, ut indulgere illi maluerit, quam imperare. Scaurus quoque apud Senecam inter Oratores Ovidium vocare ſolitus fuit; addiditque non minorem eſſe virtutem ſcire deſinere, quam ſcire dicere; ſed non poſſe Ovidium, quod bene ceſſerit, relinquere. Eodem fluxu laborat *Sarbievius*.

eius intelligitur plus ſemper, quam pingitur. Quod ut meli-us intelligatur, ipſe ſe explicat paulo inferius. *Rarum in ſucceſſu artis, ut oſtendat etiam, quæ occultat.* Talis erat ad-mirabilis illa eloquentia, de qua Cicero loquitur ad ami-cum ſuum his verbis. *Sumpſi aliquid hoc loco de tua elo-quentia; nam tacui.* Atque hanc ob cauſam nunquam ex-haurit ſuam materiam *Simonides*, ut relinquat ſemper ali-quid, quo ipſi penetrent Lectores. In hoc ſiquidem conſi-ſtit magnorum operum excellentia, quæ tum demum per-fecta ſunt, cum nihil habent, quod demi poſſint. Ab ea-dem iſta perfectione naſcebatur exquiſitus ille bonæ men-tis guſtus quo imbuta erat Polonia ſub inclyto Rege Ste-phano, eiusque celeberrimo Achate Jo: Zamoſcio. Eo pa-lato erat felix illa ætas, ut ſobria ubique eſſet iuxta illud Horatii præceptum ad Piſones, quod quidem *Sarbievius* vi-detur ignoraſſe.

- - - - - *ambitioſa recidet*
Ornamenta &c.
Luxuriantia compeſcet

Idem Horatius hoc ubique inculcat, ut & in Satyra in Lucilium

- - - *currat ſententia, neu ſe*
Impediat verbis laſſas onerantibus aures.

Imo, inquit, ipſe Lucilius

Si foret hoc noſtrum fato delatus in ævum
Detereret ſibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur.

Hic fuit genius ſæculi Auguſtæi, quem Horatius & Virgi-lius hauſerant a bona mente, quam amabant & colebant, quamque *Simonides* ubique Ducem ſecutus eſt, & tanquam ſuum *characterem* habuit. *Sarbievii* autem *character* in in-temperantia atque inſolentia translationum longiſſime du-ctarum verſatur: Verba propria, apta, ac rem explicantia,

tanquam ante pedes posita reiicit, abdita, abstrusa, quæ nemini unquam sano venerunt in mentem excogitat. Tumidus, inflatus, alas pandit, montium vertices appetit, atque ut ait Horatius

- - *montes & inania captat.*

Qui ut cæteris vitiis careat, vel hoc ipso corruptus existimandus est, quod tumidus: ut enim corpora non *(o)* robore sed debilitate inflantur, ita etiam Poesis non viribus, sed morbo, vitioque turgescit. Fluxu isto linguæ impetuque imaginationis abreptus longius sæpe expatiatur quam debet, plenius omnia exprimit quam necesse est: adeoque Lectoris sui ingenio nihil relinquit, qui certe ut solidam voluptatem capiat, tam debet esse occupatus cogitando, quam legendo. Reprehendit hoc olim Apelles in Pictoribus suæ ætatis, ut notavit Cicero in Oratore. *Pictores eos errare* dicebat, *qui non sentirent, quid esset satis.* Quod Apelles de Pictoribus, Cicero de Oratoribus, ego de Poetis dicendum censeo iuxta præceptum illud Horatii

Ut Pictura Poesis erit.

Constat quoque *Sarbievium* peccare non solum translatis immanibus ac furiosis, vi impetuque tanquam in alienam domum irrumpentibus, sed & in epithetis; atque illis næniis indulgere, in quibus toti erant corrupti illius sæculi Poetæ, quorum palato nullum fere Epithetum sapit, quod non simul contradictionem involvat eius verbi, cum quo iungitur, scilicet ut plus adferat splendoris orationi, & eluceat per hanc oppositionem: quibus deliciis nimium quantum capiebatur *Sarbievius;* cui nihil elegantius videtur ac pulchrius, quam verba iungere & in unum sensum

redigere

(*o*) Quintilianus in suis institutionibus nihil tam inculcat discipulis suis, quam ut eam eloquentiæ viam rectissimam ducant, quam Tullius & Virgilius; Eam autem tanquam scopulum evitent, quam tumidi inflatique sectantur, additque inflationem & tumorem sicut in corporibus, non esse sanitatem, sed vitium.

redigere ex diametro inter ſe pugnantia: quod quidem ſcribendi genus fortaſſe non caret, externa aliqua venuſtate; ſed iſta venuſtas haud male comparatur fœminis fucatis, quibus ornamentis opus eſt extrinſecus poſitis & arte factis, quia ingenuis & naturalibus deſtituuntur: Sæpe etiam commentario *Sarbievius* indiget atque interprete. Et quid hoc eſt ita ſcribere, ut non niſi adhibitâ Sphinge, conſulta Pythia intelligi poſſis? Placeat hoc illis, qui ſaxa & lapides loquuntur, & per ſalebroſa, & verrucoſa incedere amant. Amo prolem facili partu editam. Quæ diu inter matrem & obſtetricem hæſit, nec niſi uncis & ſpeculis adhibitis in lucem protrahitur, horribilis exit obtorto collo, vel capite, vel pede, aut elumbis. Quapropter iure Cicero & Quintilianus eloquentiæ primas deferunt perſpicuitati. *Eſt* inquiunt, *obſcurior, quo quisque deterior.* Natura ipſa docet, ad eum finem datum eſſe ſermonem homini, quo animorum ſenſus exprimeret; proinde qui cœteris plenius & dilucidius hoc faceret, hunc ingenio, hunc eloquentia valere, qui autem ſe attollere, & inexplicabili loquacitate circuire omnia quæ dicerent conarentur, eos ab ingenio facundiâque deſtitui, neque aliter facere, quam ſtaturâ breves, qui ſe in digitos erigunt, vel expertes virium qui plura robuſtioribus minantur. Sed ne aliquis me id gratis de *Sarbicvio* aſſerere, aut cavillandi ſtudio lucem veritatis oppugnatum ire, & quod aiunt, Sandalium Veneris reprehendere exiſtimet, nonnulla ex *Sarbicvii* carminibus in medium afferam, quæ certe neque Horatii, aut ullius Veterum lucernam redolent, neque decebant illum Poetam *(p)* qui Princeps Lyricorum a ſuis agnoſcitur atque proclamatur.


(p) Principis ſuperba appellatio nulli hominum ordini magis invidenda quam Vatibus. Omnium morſibus & jaculis parent ſic dicti. Citius ferant Reges Dominatum Aſiæ & Africæ quam Poetæ Principem. Unius dominatione genus irritabile Vatum offenditur. Præſtat intra honoris æqualitatem conſiſtere.

CULPANDA IN SARBIEVIO.

Nemus ridens fletibus Amnium
Fletu fontium rident valles.
Cachinnus auræ plangens ripas.
Margines fluentorum invicem cachinnantur.
Euri oſcitantur in campis.
Feretrum noctis.
Diei cunæ.
Nani colles.
Riparum pateræ.
Rores Floræ Olitores.
Herbarum lacerti.
Caligo ſereni.
Aura prati volantis.
Herboſa ſuperbia.
Croci potantes vivum fluminis pudorem.
Vivi paries vitri.
Nitens ore meridies.
Formoſus in Iride vultus.
Riſus ſiderum.
Siderum vaga cryſtalla.
Maria alta famæ.
Fundum virtutum.
Procella nexilis florum.
Florum procella. Tempeſtas Nimbus.
Odorati pupilli roſarum.
Auræ vernulæ Tibicinæ.
Latrones mentis & excelſi ingenii.
Myſtaces nimborum.

\- - - *facundisque muſæ*
Carmina deproperate remis,
Alti navita ſanguinis
Portum non ſoliti nominis attigit.
Vates profundæ navita gloriæ
Caligat ala in portu nominis inclyti.
\- - - *totisque ſonaret*
Lactea tempeſtas fluviis.
Floſculi alas foliorum explicant,
Atque odoris flant ſuſpiriis.
Abſiſte a placitis, ne Roma Placentia fiat
Ipſe Placentinus, ne videare, tace
Ludo vices, Ludovicus, ait, Mars riſit, & ohe
Lude meas inquit, Rex Ludovice vices.
\- *Carolumque ſonabunt*
Fortem ſaxa, gravem convalles flumina largum.
\- - - *aurea*
Riſere longum ſæcula, ſæcula
Auro laborata &c.
Pegaſeus Temo volaturusque currus
\- - - *radiantium*
Flatus Quadrigarum.
Et ferruginea plebe pecunia
Circumfuſus honor.

Tunc



Tunc & caducis ningere liliis
Molles pruinas, & violaria
Et nubem rosetorum protervo,
In puerum cecidisse nimbo.
Hic ille plenis Oceanus patet
Laudum carinis.
Appendit ensem qui male pallida
Urat minaci sidera fulgure.
- - - -*dolosi*
Munera, blanditiaeque belli.
Diademata fulgentia usque ad
diei
Invidiam opprobriumque solis.

Hæc, & alia non pauca revera in opprobrium Romanæ linguæ, atque indigna non modo quæ in Parnassum, sed quæ in Cimmerium montem admittantur passim occurrunt in *Sarbievio.* *(q)* Quis non exardeat ad huius styli insolentiam, audaciam, corruptelam, lasciviam, inverecundiam, argutias, phaleras, cincinnos, & fucati candoris atque ruboris medicamenta? Memini me in Comœdiis Plauti legisse de Coquo, qui ut se Lenoni, cui coctum ibat, commendaret, culpabat condimenta omnia, quibus alii Coqui cœnas condiebant, ac nova & portentosa condimentorum genera afferebat, *Sicilendrum, polindrum, macidem, cicimandrum, happalopsidem, cataractriam,* quæ omnia non rerum certarum

(q) Si me non fallit nasus; (quoniam Pœdagogi damnant, quod ignorant) insurgent in hance meam præfatiunculam gregatim ominosi vitiligatores, rabiosuli, dicaces, iactanticuli, ieiunitatis pleni, male litteris inauspicati, Momique meracissimi; (doctos semper excipio & castigati examinis viros) qui, cum illam visuri sunt, venenatis invidentiæ spiculis, sermone dicaculo, vultuosa fronte spumanti rictu, eamdem compungent, obelo fodicabunt; oppedent; delebunt lituris intra se se indignabundi mussantes; quænam est hæc tam effrons Cicada, quæ tanquam Marsya cum Apolline, aut Pica cum Musis congrediens tam licentiose, tam arroganter carpere præsumpserit Divinum *Sarbievium;* meque commisisse immurmurabunt piaculum nullis Februalium Sacris expiandum, tanquam si Apollinis Templo incacassem; quibus sic respondeo: posse aliquem esse sanum bonorum carminum æstimatorem, licet non sit probus eorumdem artifex. Non dubitabo mutare sententiam, si errata mea cognovero. Interim sciant pro me stare Ciceronem, Virgilium, Horatium, Petronium Arbitrum Quintilianum, Deus bone quales germanæ eloquentiæ & Poeseos Æstimatores atque Artifices!.



certarum ſed nugarum inaniſſimarum ſunt vocabula. Ita etiam ſæpe *Sarbievius* non item ut Horatius, atque ut aureæ ætatis Poetæ Poeſim ſuam condit; videlicet ſententiis gravibus, translatis ratione ſumptis, verborum complexione tenera atque flexibili, ſed argutiolis puerilibus, translatis furioſis, anthitetis immanibus; Ubi Muſa illa frugalis copiæ ſervatrix, graviumque Magiſtra ſententiarum? ubi ſuccus ille bonæ mentis, & ſanitas ſenſuum?
Et ſane Horatio teſte

Scribendi recte ſapere eſt principium & fons.

Hæc ſunt, quæ improbare in *Sarbievio* quisquis debet, qui habet palatum, quæque nauſeam movent delicatiori ſtomacho; ut ſileam implicatam verborum ſeriem inter ſe ita inſolenter, ita putide devinctorum, ut in toto eorum ambitu vix tenue priſci illius Romani ſermonis veſtigium appareat. Nonne hoc eſt vero Eloquentiæ Numine deturbato turpe abiectumque mancipium in ipſa Apollinis arce, in ipſis Muſarum aris collocare? Neque putandum eſt *Sarbievium* neſciviſſe, quod optimum eſſet, aut quo genere orationis Muſis litaretur & Gratiis, non vidiſſe. Fuit hæc illi quoque ſapientia, ut fidem faciunt non paucæ ipſius Odæ naturali illa & veteri pulchritudine exturgentes, & revera dignæ Venuſinâ Lucernâ. Placet, æternumque placebit (r) *Sarbievius*, ſed in quibus minus laboravit, ut placeret. Diſplicet atque ſemper diſplicebit in quibus pravo ſtudio

---

(r) Ludovicus Aubelius inter alia Hugonis Grotii; hoc de *Sarbievio* iudidicium refert, *Non ſolum æquavit, ſed etiam interdum ſuperavit Horatium. Credat Judæus Apella,* & quicumque non novit, inter anſerem & olorem quid interſit, non ego; Teſtudo aquilam, pumilio gigantem vicerit citius. Et me hercle, quod Horatius de Pindari Æmulo pronuntiabat, idem *Sarbievius* periculum, ſi altivolantem velit ſequi Horatium, iure ſibi metuat *vitreo daturus nomina Ponto.* Cedo mihi Hugo Groti loca in quibus *Sarbievius* ſuperavit Horatium, & *eris mihi magnus Apollo.* Nullum eſt ſignum aſſertantis magis quam ita im-

vo ſtudio voluit placere. Verum abreptus ſæpe impetu imaginationis, abuti identidem maluit ingenio, & quædam eum iudicii perverſitas ac ſæculi genius, ad difficilium ineptiarum, phalerarum, cincinnorum, ad immanium translationum vada & ſyrtes alliſit, prætulitque e fuco quæſitas delicias veriſſimis Muſarum theſauris, relictoque ſerpentis corpore, inanes eius exuvias conſectatus eſt. At deſinam *Sarbievii* cenſorem agere, ne mihi *Sarbievianus* aliquis frontem corruget, mentum intorqueat, contrahat labra, ambasque iratus inflans buccas in me deſpumet ſuum πάθος, atque anathemata ſcribat, nimis ægre ferens cenſoriam hanc virgulam: in qua exercenda ſi acrior quibuſdam & vehementior viſus ſum, ii ſciant me ad id inductum non cavillandi ſtudio, non odio, non inimicitiis ullis, ſed amore Litterarum, ſententiamque noſtram niti approbatione graviſſimorum *(s)* Virorum, atque etiam calculo

modice laudare. Qui de *Sarbievio* hæc iactant, minus mihi obſervaſſe videntur, quid in Flacco ſtupendum ſit. Sua ſibi Flaccus habeat ſine rivali, orationis magnitudinem, elegantiam, celſitatem, divinitatem; quas fateor in ſuis lyricis referre hic ille conatus eſt *Sarbievius*; quod ſi ſæpius feciſſet, maior eſſet Lyricorum eius maieſtas, dignitasque; ſed relicta Horatii ſæpe parſimonia prudenti & curioſa felicitate, Lucani clangorem & Statii crepitacula imitatus eſt. Eodem delirio laboraſſe Hugonem Grotium conſtat ex eius Ep. ad Fratrem *agnoſco me ipſe*, inquit *alibi Lucani ſpiritu plenum, interdum Manilii plus quam ſatis eſt, ſtudioſum, non unquam aliquid ad Statii & Claudiani inſtar conantem.* De iure belli & pacis, quam de Poetices ratione pronunciantem Hugonem Grotium ſequi malim.

(s) Nous voyons meme d'autres critiques d'aujourdhui qui reconnoiſſent dans pluſieurs endroits de *Sarbiewſki* de la confuſion & des obſcurités qui en gâtent la beauté; & quelques uns jugent qu'il s'eſt quelques fois laiſſé emporter trop loin, ſous pretexte de ſuivre l'impetuoſité de l'eſprit Poetique, & qu'il a des figures outrees, & des expreſſions trop fortes. D'autres pretendent qu'il eſt quelques fois Afriquain dans ſon ſtyle: & tout le monde convient que ſes Epigrammes ne repondent point à ſes Odes. Adrien Baillet dans ſes Jugemens des ſavans &c. Amſt: 1725. Tom: IIII. p. 226. 227.

tiarum vaniſſimo ſtrepitu. Conferant hæc ii, qui Scriptores haberi volunt cum inſigni præcepto, quod nobis reliquit ſubtiliſſimus & ſagaciſſimus Criticus Petronius Arbiter, ſed parum recte a multis intellectum. *Curandum*, inquit, *ne ſententiæ emineant extra corpus orationis expreſſæ; ſed intexto veſtibus colore niteant.* Videor eviciſſe damnari hoc loco conceptus, quos expreſſio nimis valida, nimiſque picta & ſplendida quaſi peregrinas reddit reliquo orationis corpori, neque admiſiſſe *Simonidem* quicquam, quod ſit affectatum aut quæſitum, ſed ſplendorem duntaxat adeo naturalem

Qualis Apellæis eſt color in tabulis: Tibullus.

Ut verbo abſolvam, omnia ornamenta verborum nimis ſplendida, longe quæſita, nimis frequentia adimunt orationi pulchritudinem naturalem & germanam dignitatem. *Gravitas ſiquidem*, inquit Cicero ad Heren. *minuitur exornationibus frequenter collocatis*, *quod eſt in his feſtivitas*, *non dignitas*, *lepos*, *non pulchritudo.* Et hoc eſt *principium naturale* in omnibus rebus præclaris ac grandibus, quarum maieſtas iuncta cum ſimplicitate decenti facit omnem ornatum, excellentiam & dignitatem: ut videre eſt in pictura atque architectura, ubi grandes animi conceptus multo minus ſe ſuſtinent exornationum copia, quam illa ſimplicitate decenti, unde omnis dignitas, & maieſtas. Omnes itaque Eruditi, quos exteriora illa & immania Poetarum ornamenta morantur, non ſunt idonei Judices. Ut recte aliquid ſtatuatur de præclaris Poetarum operibus, penetrare oportet virtutes, ut ſic loquar *eſſentiales*, dimetiri omnes proportiones; diſpicere utrum pulchra quæque ſuo ſint loco poſita; utrum moderamen illud inter admirabile & veriſimile, cum iudicio adhibitum; Proceſſerit ne audacia nimis longe quam Poeſis admittit, tumidave ſit, atque ampullata; Utrum bona & ſana mens ubique eluceat, ha-

beantque ſe ſe res omnes, quo par eſt modo. Nam ut prudentiſſime monet Quintilianus. *Nihil poteſt placere, quod non decet.* Atque ut ait Petronius; *Nihil commodius eſt, quam ſemper cum ſapientia loqui; ſed nunquam bene loquimur, niſi cum ſapienter meditamur.* Denique arbitrandum eſt de præclaris Poematibus, atque etiam Lyricis carminibus, tamquam de magnifico & Regali aliquo palatio, cuius prima ac præcipua pulchritudo habetur totius operis proportio ad partes ſingulas, ſingularumque inter ſe partium convenientia. Hæc ſunt, quæ conſiderantur a peritis, non ornatus exterior, qui ſolos capit, atque delectat architecturæ ignaros. Sed ne tædium pariam ulterius Lectoribus nimis prolixe omnia diſcutiendo concludo; malle me *Simonidem* fuiſſe quam *Sarbievium*; malle quoque multo ardentius unicum *Simonidæ* Caſtum Joſephum, aut unicam *Simonidæ* Odam ad Thomam Zamoſcium ſcripſiſſe, quam totum volumen Odarum (*y*) *Sarbievii*, cui etiam præpono *Cochanovium.* Qui *Sarbievium* præferunt, vix illis optari quidquam peius poteſt, quam ut fatuitate ſua fruantur. Ita ſtatuo ſalvo aliorum iudicio; nec enim mea ſuffragia pro Prætorio Edicto, aut Apollinis oraculo haberi volo. Ac denique legendum *Simonem Simonidam* ſi quemquam alium Juventuti Polonæ cenſeo, ut ab eo non ſolum ve-

ram

(*y*) Franciſcus Bohomolec in vol. ab ipſo edito Varſaviæ an. 1769. cui titulus Mathiæ Caſ. *Sarbievii* opera poſthuma inter Lyrica Eiuſdem recenſet quinque Odas de Sigiſmundi Pol: Regis trophæis, quas luce meridiana clarius conſtat Romæ a Gilberto Jonino Arverno Societatis Jeſu conſcriptas fuiſſe; Non minus liquet & Jonini eſſe Epiſtolam ad Sigiſmundum Regem, quæ Odis præfixa eſt. Conſule amice Lector Jonini Lyrica Lugduni edita ſumptibus Jacobi Proſt anno 1639. Debui te huius commonere, ne dum Jonino tribuo, quod ſuum eſt, tu forte in Lyrica Jonini incidas, atque in Joninum furti probrum refundas. Maluiſſet Joninus Poeta Eximius propria ſupprimere, quam ſic uti alienis. Qui ſi poſſet redire ad lucem nimiâ certe in ſe uſum familiaritate Socium ſuum Franc: Bohomolec iure ac merito conquereretur.

ram Græcorum & Romanorum Poetarum rationem, ſed & bene recteque vivendi & philoſophandi normam, addiſcat, quas certe ab huius ævi Poetulis accipere non poteſt, a quorum puerilibus argutiis ſanum ſcribendi genus magnam cladem pati video; audioque quoſdam (z) Viros in pretio hic eſſe, qui apud meos Italos ne centuriatis quidem comitiis ſuffragium ferunt. Hæc maior eſt calamitas, quam ſi omnino litteræ non æſtimarentur. Nam quid iſti latinitatis tortores & Gratiarum præter glandem in Heliconia illa ſylva legunt, aut quod unquam ex felici arbore nitidius pomum decerpunt, quod in ipſorum ſcripta tanquam in agri maciem translatum continuo non emarceſcat?

Non ita Phinei diræ immundæque volucres
Diripiuntque dapes, contactuque omnis fædant
Harpyæ. Virg. Æneid.

Ut iſti in Muſarum convivio belliſſimum quodque corrumpunt, & contactum ore nectar ſordida vappâ atque cereviſia commutant. Neque enim ſi quam forte purpuram rudi panno orationis intexunt, aut ſiquid Apellæi coloris enormi tabulæ, turpique, extantibus nodis inducunt, eo

ſitu

(z) Incidit nuper mihi in manus Oda cuiusdam hominis, qui in magno pretio eſt. Lego ſemel, iterum, tertio ac ſæpius; ac verba vix pauca intelligo. Tum ego tradere me triſtitiæ, mihi ipſe iraſci. Quid dicam amplius? Dum in eo omnes nervos ingenii contendo ut ſaltem ſuſpicione eius Odæ ſenſus aliquos aſſequar, integram horam male perdidi. At nihilominus quidquid ab ipſius officina prodierit, perfectum ingenio & elaboratum induſtria creditur eſſe. Quidquid aliunde emanat, contemnitur, irridetur, ac fæno vilius habetur. Atque ita ille hac opinione inflatus ſe magiſtrali ſupercilio infert, ut quemcunque offendat, qui ſe eloquentem audeat appellare; niſi ſit aliquis, qui ex ipſius Secta, tanquam ex Equo Troiano prodierit, ſeque in eo ſcribendi genere, quod ſolum ipſe probat, exercuerit. Hinc acclamationes & plauſus, tanquam iure ſibi debitos exigit, quod ſolus cum ſua Secta eloquentiæ, Poeſeos, cæterarumque ſcientiarum patrimonium tenere ſe putet. Non poſſum quin cum Catullo exclamem. *O homo inſipiens & inficetus!*

ſitu luminis explicant, ut nitorem illa ſuum & nitore ſpectantium oculos retineant. Inanibus ſemper locis excurrunt, & tanquam ſi ex Jovis Hammonis fonte prognati eſſent, in calido argumento frigent, calere ſtudent in frigido; ſed ut maxime tamen caleant, frigus eſt tantum, quantum vel ignem quo olim Dianæ templum conflagravit, poſſunt extinguere: quorum ego de Vini Hungarici vetuſtate iudicantium ſententiam ſequi malim, quam de Poeſeos Latinæ guſtu & ſapore pronunciantium. Habeant *Corvi Poetæ & Poetriæ Picæ*, ut cum Perſio loquar, ſuos admiratores & Plauſores, qui ipſis ſacrificent. Ego Apollini cenſeo immolandos, aut, ut cum Horatio, mitius in illos animadvertam.

Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Nunquam illi carminibus ſuis aſſequuturi ſunt, ut eorum rationem aliquam, Poſteritas habere velit, penes quam ius eſt & arbitrium veriſſimæ gloriæ. Non iſta erit ſemper temporum caligo, ut illa veluti tecti ad Doctorum Virorum & Poetarum album obrepant, & iudicio præditos pro Viris præſtantibus fallant. Sed de his ſatis. Fruere interim Polona Juventus immortalibus *Simonis Simonidæ* monumentis. Offero vobis Civem veſtrum, quem veluti poſtliminio reverſum amplectamini: Jacebat ille, ut iam dixi, ſepultus tenebris, & non habebat, qui hortaretur, ut lucem ſperaret. Movit me & fortuna Viri de litteris optime meriti, & ſtudium meum in vaſtiſſimam iſtam ac nobiliſſimam Regionem, ſummorum ingeniorum Matrem, ut ederem illum in eam lucem, in qua vivebat memoria clariſſimi Hominis. Perſolvit ille debitum Patriæ dum res Polonorum & præcipue Zamoſciorum ſuis carminibus æternitati conſecravit: ego ſtudio & obſervantiæ ſatisfaciam, illa carmina, quæ nominis tantum celebritate vivebant, in lucem, quam amiſerant, proferendo. Civem veſtrum vobis

allego,

allego, qui testetur, a me eo loco Poloniam vestram haberi, quo æquum est eam Regionem, quæ altrix doctissimorum Virorum, non anteactis modo, sed & præsentibus seculis apparuerit; docueritque non esse effœtum naturæ sinum in Viris procreandis.

IN TUMULUM

SIMONIS SIMONIDÆ BENDONSKI

ZAMOSCII

IN TEMPLO MAIORI

ANG: DURINI ARCHIEP. ANCYR. NUNTII APOSTOL.

O D E

AD NUMEROS PINDARICOS

STROPHE I.

QUo te beatam nomine
Prædicabo potissimum
Russiæ decus atque ocellæ nigræ,
Magni Zamoscii nomine quæ incluto
Gloriaris Civitas?
An quod blanda loci ridet amœnitas,
Lætisque circum tot places viretis?

ANTISTROPHE

ANTISTROPHE I.

An quod fluento divite
Limpidi allueris Vepri?
An quod uſque tuas per officinas
Maſſam tenaci forcipe ferream
Mille Brontes concoquunt?
Vnde & creſcit opum vis Tibi: quid ſacra
Tot templa dicam, quid domum Camœna-

EPODUS I.

-rum, educta cœlo quid loquar munimina?
Vna tamen ſupereſt
Quæ te gloria cœlo
Æquat æternum: cineres *Simonis*
Vatis, & oſſa

STROPHE II.

Sub mœnibus ſervas tuis;
Cui nec ulla parem tulit
Ætas, nec feret; o foret tuos fas mi
Intrare muros! ut venerer lubens
Parva tanti nominis
Buſta & relliquias? nec foret amplius
Mi ægre, quod oras incolam Polonûm

ANTISTNÓPHE II.

Dum factio duellica
Sarmatum furiat globos.
Eſſet iam mihi abunde, læta ſi mi
Sors inquieti damna tot Exili
Penſet hoc ſolatio.
At poſtquam eripitur milite ab extero
Iter Zamoſcium. Tu comes mi adeſto

EPODUS

EPODUS II.

Joseph (b) Virique Maximi mecum incipe
Verſibus Æoliis
Juſtas dicere laudes
Atque *Simonem* referat ſonoris
Viſtula ripis.

STROPHE III.

Qui barba cum nec primula
Veſtiret roſeas genas,
Caſto Pieridum calens amore
Intacta Pindi culmina per, novum
Scandere auſus eſt iter;
Læchosque artis adhuc Pindaricæ rudes
Lyrâ beavit primus atque plectro.

ANTISTROPHE III.

Intonſus illi Cynthius
Munera hæc dedit, indole
Captus egregii aurei Poetæ,
Tunc cum exeuntem e finibus *(c)* Italûm
Ad ſuos dimitteret;
Atque hanc ipſe Deus texuerat Lyram
Mira arte cælans, finxeratque circum

EPODUS III.

Novi labores Vatis & naſcentium
Omnem operum ſeriem,
Quæ longe ante videbat
Scilicet Vatum Deus, & futuri haud
Inſcius ævi.

STROPHE IV.

Illic Joſephum *(d)* fecerat

Caſtis

(*b*) Joſeph Epiph. Minaſovicius Can: Kiov. Vir Eruditus & Poeta elegans.
(*c*) Vide Starovolſcium ubi de Itinere Italico Simonis Simonidæ.
(*d*) Caſtus Joſeph Tragedia Eiusdem.

Caſtis moribus inclytum:
Adflecti hunc thalamo laborat amens
Jempſar, reflectit ſe at Juvenis catus,
Rigidusque elabitur .
Defluxi ſubito munere pallii.
Longe haud Joelem *(e)* cerneres Prophetam

ANTISTROPHE IV.

Fantem Dei *Magnalia*,
Quæ Interpres ſacer hauſerat
Ipſo numinis intonantis ore:
Pone at videres Agmina *(f)* Amazonum
Cincta peltis Agmina,
Reginamque Ducem, materiem optimis
Scenis Poetæ maximi futuram.

EPODUS IV.

Neque procul inde Sarmates *(g)* etiam Viri
Emicuere, quibus
Conceſſura canendo
Ipſa *Simonis* chelys haud caducos
Eſſet honores.

STROPHE V.

Atque unus inter cæteros
Tollebat caput arduum
Late Sarmaticis micans in armis,
Ceu purus orto lumine Lucifer,
Ipſe Dux Exerciti,
Joannes Generis Gloria *Sarii*
Murus Polonûm Littavæque Gentis

ANTI-

(*e*) Joelis Prophetæ Eiuſdem Paraphraſis.
(*f*) Penthesilæa Tragedia Eiusdem.
(*g*) Poemata cætera *Simonidæ* ſive Pindarica, ſive Heroica, ſive Elegiaca, ſive Epigrammata Jambico metro atque Hendecaſyllabo in Laudem illuſtrium Polonorum.

ANTISTROPHE V.

Tali laboratum manu
Simon accipiens ebur
Miratur ſpeciem, novoque lætus
Honore volvit vivida identidem
Huc & illuc lumina,
Paulatimque fides tentat, & omnium
In ſe ora vertens protinus virorum

EPODUS V.

Pictura quicquid continebat fertili
Explicat ingenio:
Nam quæ ſingula Vates
Cæteri claudunt numeris, hic unus
Omnia *(h)* clauſit.

STROPHE VI.

Vt amne paſſim devio
Nilum Ægyptia iugera
Non uno accipiunt vado ſonantem,
Largi ſed undans copia fluminis

(h) Omne carminum genus attigit *Simonides*: pudorque illi fuit, ut eximio Cytharœdo circa eamdem Chordam oberrare. Eſt & Poeſi ſua Harmonia & concinna modulatio. quæ non minus quam Muſica, & numerorum diverſitatem & modulos diſcrepantes amat; ut ex diſſonis vocibus Symphoniam fabricet, & diſcordiam laudabili concordia componat. In veſtibus placet varietas, placet in ſuppellectile, in libris, in cibo, & potu, & nullibi non: Placet eadem Poetæ, ne aut Heroici carminis perpetua gravitate ſeveritatem induat ſibi moleſtam, aut Elegiarum facilitate ac ſuavitate diffluat, aut Jamborum brevitate veluti conciſo ſpiritu concidat. Non ſunt Poetæ, qui ſemper, ut iam dixi, oberrant eadem chordâ, atque eamdem repetunt cramben. Cui commode omnia metra fluunt, *do nominis huius honorem.* Talis fuit *Simonides*, quem ego hacce ad numeros Pindaricos Oda laudare conatus ſum. Erunt, ſcio, qui dum illam legent os diſtorquebunt nauteabundi, atque ita frontem caperabunt, ut Scaphium olfeciſſe aut naſturcium momordiſſe videantur. Sed nos ſusdeque habemus & flocci facimus inanes vacuosque litterarum. A paucis iisque doctis legi volumus, & qui ſciant, *quid diſtent æra lupinis*.

Diditur late, Affricum
Littus dum ſubeat, ſeque per oſtia
Septem æſtuoſo miſceat profundo.

ANTISTROPHE VI.

Sic illa inexhauſti ingenî
Vis, nullum ſibi terminum
Permiſit ſtatui. Quid inde honeſtos
Mores celebrem? quid cata pectora
Digna queis Zamoſcius
Dilectam Sobolem traderet imbui
Thomam ſcientiis litterisque. Manes

EPODUS VI.

Salvete manes inclyti, & noſtrâ manu
Ad tumulum quoniam haud
Datur ſpargere flores;
Sumite hos verſus, precor, uſque noſtri
Pignora cultus.

De Eiusdem inimitabili Poeſi

HENDECASYLLABUS I.

Dulcis *Simonides* Latina Siren,
Vnus omnia quæ ambiunt Poetæ:
O Cycne, o Philomela, ver Latinum,
Mel merum Latii, Latinæ Athenæ,
Men tecum trahis, incitamque mentem
Ignoto attonitum rapis furore!
O ſi in te penitus migro, meique
Tuis neſcius inferor medullis,
Cur abs te doleo me abeſſe tantum?
Dulcis *Simonides* Latina Siren.

II.

AD LEOPOLIM

SIMONIS SIMONIDÆ PATRIAM.

O urbs Leone ſuperba Conditore
Arce dupplice, dupplice atque muro,
Nec non Emporio beata magno:
Tu nec tam mihi diceris ſuperba
Conditore tuo Leone, nec tam
Arce dupplice, dupplice atque muro
Nec magno Emporio beata; Vatis
Quam quod *Simonidæ* es Parens; quod iſthic
Cœli ſemina primulum ſereni
Divinum caput hauſit, & tenello
Riſu diſtulit incitas tenebras:
Fortunata *Leopolis*, ſuperba
Jure hoc pignore, Pindaro Latino.

III.

DE EODEM.

Magno Mantua quam Marone gaudet,
Smirnæique ſuo tument Homero,
Dirce & Pindarici ſonore plectri,
Verona & modulo Catulliano;
Tam te, clara Leopolis Poetâ
Simon Simonida, intumet, triumphat.
Nam quo tempore ſermo Graius, atque
Perfecta latius vigeret arte,
Illi carmina floruere terſo;
Tum cum Romula lingua iam iaceret,

 Tu cum

Tu cum Læchica lingua adhuc careret
Suis & numeris leporibusque;
Jam cultiſſimus eruditione,
Jam puriſſimus elocutione,
Senſu argutus & arte ſingularis
Læchos carminibus tuis beaſti,
Tua & ſecula ſeculis vetuſtis
Æquaſti duplicis decore Muſæ:
Quidquid proinde tua excitata laude
Tulit Læchia carminis Latini,
Tulit Læchia carminis Poloni,
Acceptum id referat tibi neceſſe eſt
Auctori Archetypo, Artis & magiſtro.

O D E

Per me *Simonida* denuo vivere
Exire & latebris denique triſtibus
Concedunt ſuperi. Carmina Sarmates
Extollent meritis iam tua laudibus,
Et toto repetet flumine Viſtula.
Ibis, nec vacuâ ludor imagine,
Ibis per populos, atque recentibus
Frontem Calliope frondibus ambiet,
Qua Sol exoritur, qua medius calet
Dicêris, radios qua occiduus tegit;
Nec mors atra nigras iniiciet manus.
Hæc te fama manet, qui bene Pindari
Pulſaſti ingenuus pectine Barbyton.
Sed quis læta furor pectora concutit!
In Pindum rapior. Pegaſus alite
Dorſo me liquidum ferre per æthera
Geſtit, non humili lætitia tumens.

Vt

Vt Cyrrhea procul ſubſiliunt vada!
Vt me *Simonides* ſtringit amicior!
Vt collo tereti gratus in oſcula
Tendit prona! Choris me ut ſociat lubens
Sanctis Aonidum! Plaudite, plaudite
Nil noſtrâ enituit ſorte beatius.

O D E.

Phœbi Sacerdos purus, & inclyti
Vates *Zamoſci*, gloria Ruſſiæ,
Hic ille *Simon*, quem diſertus
Suadæ Helicon aluit medulla:
Cracovienſem edoctus ad Iſtulam
Exceptus ulnis mox Tiberis fuit;
Suſpendit aures & Potentum
Romulidum, Latiosque colles.
Manantis illic ſorbuit ungulam
Totam fluenti; germen & omnium
Decerpſit elegantiarum
Romulidum e gremio virorum.
Clemens Latini Rex gregis & Pater
Curis ſopitis grandibus Imperî
Audire gaviſus ruentem eſt
Pindarico numeros ſonore.
Salveto Vatum maxime; tempora
Si te tuliſſent aurea; ſi tuum
Vocale ebur, plectrumque priſco
Nobile perſonuiſſet ævo;
Quas Smyrna lauros occupat innubas,
Quas clara Dirce, doctaque Daunia
Dictante Phœbo vox Sororum
Aonidum tibi deſtinaſſet.

O D E

ODE SAPPHICA.

Barbito quænam docuit canoras
Musa *Simonem* sociare chordas,
Nobilem quidquid placuit decoro
Ludere versu.
Ille profundùm numeros ruentes
Pindari solus valet æmulari;
Sive devolvit rapidos citato
Carmine Jambos;
Seu Lyram pulsans graviore plectro
Sarii laudem exequitur *Zamosci.*
Seu levi ludit cythara, Phileta
Callimachoque
Mollius cantat. Generosus ardor
Me rapit tantum sequier Poetam
Piscis ut patrem sequier natantem
Parvulus audet:
Nec tamen vastos superare fluctus
Auserim, latum secet ille Pontum.
Me iuvet parva legere in carina
Littoris oram.
Spes vetat magnas alere impudentis
Marsyæ cantus; cute cuius olim
Aspera hirsutos spoliavit artus
Læsus Apollo.

AD SIMONEM SIMONIDAM.

Qui modo pulverea tenebrarum in nocte iacebas,
Atque æmulorum iniuriâ, atque ævi incuria;
Jam cape *Simonida* priscos redivivus honores,
Lætusque lucem prodiens petas licet:

Ceu

Ceu posita verno nitidus sub sole senecta
Serpens Juventæ munere elatus novæ.
Te tibi, te Læchis, te reddo *Nuntius* Orbi,
Dum te indecoro libero fœdum situ.
Nunc tandem tua fama redit, tua scripta leguntur,
Tecum triumphat denuo & Zamoscius.

SIMONIS SIMONIDÆ

Manes respondent.

Io! revixi, denuo in auras luminis
Exurgo lætus, sed perennes, sed novas,
Quas nec vetustas immemor, nec temporum
Fuga insequentum, aut impotens oblivio,
Nec æmulorum iniuria, atque ævi incuria
Absumat olim: Munus hoc totum tuum est
Legate Sedis Romulæ. Nos nos tibi
Debemus uni nominis vitam novi,
Novumque per te gloriæ acceptum decus.
Mecum refertque gratias Zamoscius.

Ad Eumdem.

Hanc tibi *Simonides* sacravi *Nuntius* Aram
Vistula uti lambit mœnia Varsaviæ:
Ara habet effigiemque tuam, titulosque decentes,
Editaque ingenii tot monumenta tui.
Quæ coluit transacta, rudis quæ hæc nesciit ætas,
Postera sed melior quæ super astra feret.
Simonidæ illustres manes salvete Poetæ,
Atque hoc obsequii pignus habete mei.

Ad Eumdem.

Ad Eumdem.

Romani Vatis vera hæc ſententia. non eſt
Ultima Principibus laus placuiſſe Viris
Zamoſko placuiſſe, parem quem nulla tulerunt
Sæcula, prima tibi laus ea, *Simonida.*

Ad Eumdem.

Si Vates Læchi cupiant ſibi condere Regem.
Regis habe titulos iuraque *Simonida.*

In Eiusdem Effigiem.

Laudatum cunctis, laudandum nec ſatis unquam
Maiorem invidia conſpice *Simonidem.*

Ad Eumdem.

Sarmatiæ es Siren ita cantu ſurripis omnes,
Nam tua qui legit, ſcribere nemo poteſt.

Multa alia carmina, Odas nempe, Hendecaſyllabos, Epigrammata in laudem Simonis Simonidæ *conſcripſimus: quæ omnia viſum eſt reiicere ad calcem ne diutius in veſtibulo operis Lectores moraremur. Maluimus balbutire, & diſſona ſcribere, quam obmuteſcere. Quæ ſi non arridebunt exactis ad omnem elegantiam auribus, officio tamen cultus atque affectus in* Simonem Simonidam *probari fortaſſe poterunt.*

SELECTA

SELECTA ILLUSTRIUM VIRORUM
DE SIMONE SIMONIDA LEOPOLITANO
TESTIMONIA.

I.

Ex Justi Lipsii Epistolarum Cent. V. Epist. LVII. pag. 56. (i)

SIMONI SIMONIDÆ. *In Poloniam.*

Litteras tuas, & quod librorum adiunctum fuit, nimis libens legi. illas, ab humanitate & affectu mei, quem ſpirabant; iſtos ab eruditione varia, quam præferebant. Ego mi Simonide, ut de affectu dicam, pretium laborum meorum cenſeo à talibus amari: id eſt à doctis, bonis, quorum inter apices te pono. ut fama mihi non dixerit (quam & hic habes) unum illud carmen tuum *in Imagines Zamoſcianæ dictæ* approbet: quod ita me Deus, eruditum, antiquum, ſuave eſt, & numeros ac phraſim Catulli, ac veterum illorum habet. Macte! ſpondeo tibi, paucos in Europa eſſe (& eſt ingens Poetarum copia, ut apum) paucos, inquam, qui meo quidem ſenſu ſic ſcribant. Iam illa Stoica, quam putas ipſo titulo & argumento blandita eſſe? quid cum cœpi legere, tam multa e Græcis Latinisque, & remotis etiam auctoribus petita: ſic adaptata & nexa, ſubtiliter explicata: quam putas, inquam animo affectum & motum eſſe? Amo illam ſectam, & conatus ſum producere, ut vidiſti: ſed hanc Logicam partem reformidaui pœne tangere, vix otii, certe non languoris huius mei. Gaudeo illic factum à Burſio, & ſic erudite factum: à Burſio, an

(i) Antverpiæ ex Officina Plantinianâ apud Viduam & Filios Jo: Moreti; CIↃ. IↃC. XI.

vis me magnum (k) illum Heroem veſtrum inſcribere, quod vix ulla ætas credat? Virum in tot, & tam arduis occupationibus, regni Atlantem, ſuſtinere & has litterarias curas ac lucubrationes poſſe? Diuinum ingenium dicendum eſt, in admirationem ævi, vix in exemplum (quis enim imitetur, vel auſit?) datum. Diu nobis viuat, quem toto animo ſuſpicimus & colimus: diu tu tali patrono felix, mi Simonide, flore itemque viue. Louanii, VII. Idus Novemb. ∞. IↃCIIII.

II.

Ex Epigrammatis Henrici Hudemanni, F. Holsati pag. 174.

IN LAUDEM SIMONIS SIMONIDÆ

PINDARI LATINI.

HActenus has tenuit numeroſus Horatius aures
  Laudans Pindaricæ plurima fila lyræ;
Quod ſummum ſcandat ſuper æthera ſolus, & omnes
  Ducat Apollineas in ſua vota Deas.
Vt nulli noſtrum donent depromere, quales
  Hic Dyrcæus olor concinit uſque modos;
Sed video tandem quæ me dementia cœpit,
  Dum faveo dictis Flacce Poeta tuis:
Simonides rigida poſtquam ſurrexit ab Arcto
  Victurum latiâ fundere voce melos.
Sic bene Romanis numeris reſpondet, & omne
  Punctum, non plauſu deficiente tulit,
Pindarus ut doctis dicatur ab omnibus alter,
  Qui merito primus ſceptra latina gerat.

EIUSDEM

(k) Joannes Zamoſcius Magnus Cancellarius.

EIUSDEM.

De Eodem SIMONIDE *&* LÆVINO TORRENTIO

Pindaricum Latium devolvit ut alite carmen
Simonides, Patriæ gloria prima ſuæ,
Sic Lyricis numeris *Torrentius (l)* æmulus audit
Alcæi Flacco cum Comes ire ſolet.
Salvete o noſtri Vates, & vincite Vates
Græcia quos, & quos Terra Latina tulit.

III.

Ex Simonis STAROVOLSCII *Centum Illuſtrium Poloniæ Scriptorum Elogio & vita. pag. 131.*

SIMON SIMONIDES.

MAgni Jo. Samoſcii Secretarius. Leopoli in Ruſſia natus, puer domi, adoleſcens in Acad. Crac. melioribus artibus imbutus, primaque Philoſophica laurea, una cum Nicolao Dobrocieſcio, ſub Decano Anſelmo Bodzentinio, ornatus, brevi in Italiam, quæ feliciſſima omnia ingenia incluſit, profectus, bibit e ſacris illis pectoribus *Clauii*, *Vitelleſcii*, *Moreti*, *Molinæ* aliorumque, hianti ore abditæ doctrinæ fontes adeo, ut in patriam reverſus, paucos ſibi æquales haberet, neminem autem, qui maiores illo latentium litterarum gazas in pectore geſtaret. Quas ſubi primo obtutu Magnus ille Heros in eo reconditas pernouit, ſtatim virum ſic adamavit, ut nuſquam eum poſtea à ſe dimiſerit; ſed ornatum beneficiis etiam in aula Principis ita promoveret, ut & baltheo equeſtri, cum aliis virtute illuſtribus viris, ob egregias animi dotes, ornandum curarit, atque paulo poſt lauru Poetica à Clemente VIII. Pont.

(l) Lævinus Torrentius Epiſcop. Antverp. Poeta Lyricus Eximius. Eius Poemata impr. ſunt Antverpiæ in Officina Plantiniana 1594.

Max. quod ſolus fere, Magni Lipſii iudicio, ſua ætate poetas, uſque ad inuidiam veteris ſæculi, eruditione ſuperarit; idque non in phraſi tantum, aut numeris poeticis, in quibus eum Catullo ſimilem facit, verum etiam in omnis generis ſcientiarum cognitione. Cuius rei fidem faciunt ſcripta, varia de re, varioque carminum genere à ſe conſcripta. Ac primum *Nænia in obitum Jacobi Gorſcii & Stanislai Socolovii*, *Carmen in imagines Samoſcianæ diætæ*, *Herculem Prodicium. Octonarios in D. Stanislai laudes. Flagellum Liuoris. Caſtum Joſephum*, *Joelem*, *Pentezileam. Odas in victoriam*, *Nuptias*, *atque Obitum Samoſcii. Inque victoriam Thomæ Samoſcii Joannis F. Polonico vero carmine Eclogos XX. Scripſit & Epigrammata varia*, *tam Latina quam Polonica*, *tum Epiſtolas quoque familiares.* Sed quæ omnia nondum ſunt uno volumine comprehenſa.

JO: SCROBCOVICII. (m)

Grande virûm pectus, quicquid molitur acuti,
Latius aut quicquid Muſa leporis habet;
Id facunda ferunt monumenta Simonidis omne,
Fontes & cytharas vir tenet iſte Deûm.

I V.

Ex Dictionario Hiſtorico & Critico Petri BAYLE
pag. 148. Edit. 5.

SIMONIDES (SIMON) l'un des bons Poëts Latins du XVI. Siecle, nâquit à Leopole en Pologne, & après avoir fait ſon Cours de Philoſophie à Cracovie, il alla ſe perfectionner dans les études en Italie; d'où il révint ſi rempli d'érudition que Jean Zamoſki le plus grand Héros qui fut en Pologne, le choiſit pour ſon Secrétaire, & lui témoigna beaucoup d'affection, & lui procura la dignité de Chevalier.

(m) Apage Scrobcovici cum tuo hocce inſulſiſſimo Epigrammate. *O inficeto inficetior rure*, ut ait Catullus.

lier. Le Pape Clement VIII. l'honora de la Couronne Poëtique. Juste Lipse lui donnâ des loüanges fort distinguées, le comparant à Catulle, & prétendant que ses Vers eussent pû donner de la jalousie à l'Antiquité *(n)* Simonides reçut chez lui à Lèopole en 1597. avec une affection tres-particuliere George Douza qui alloit à Constantinople, & qui étoit fils de Janus Douza, bon Poëte, & bon Humaniste. Cela lui valut un Eloge que l'on verra ci dessous avec le Titre de ses Poëmes. *(A)*

(A) *Un Eloge que l'on verra ci-dessous avec le Titre de ses Poemes*) George Douza écrivant à son pere une Relation de Son Voyage lui parla ainsi de son séjour à Leopole: *Huic urbi* (Leopoli) *plurimum me debere fateor, quod hic cum Simone Simonide hospitium & amicitiam contrahere licuerit: qui Vir quanto orchestræ plausu Parnassi collem institerit, e Scriptis eius editis Ælinopæanæ videlicet, & casto Josepho, tum Joelis illa Paraphrasi satis superque constare arbitror* (1) Son pere lui écrivit à Constantinople une Lettre où il lui marqua sa reconnoissance pour le bons offices de Simonides, & l'estime qu'il avoit depuis long-tems pour les Poësies de ce Polonois. *Nescis, mi fili, quanta cum animi voluptate illam Epistolæ tuæ particulam legendo ruminaverim, ubi non modo tanti viri* (Interpretis Polonici, natione Armenii) *faventiam ultro tibi oblatam glorioris ac prædicas: verum etiam incomparabilis Viri Simonis Simonidis benevolentiæ fores iam pridem patefactas aditum tibi porro ad doctissimi illius ac disertissimi Interpretis amicitiam concinnasse. . . . Nunc Cessator esse cogor, ac commodiori tempori hoc scribendi officium reservare, præsertim ad Simonem Simonidam, quem virum ego iam pridem ex Scriptis editis, Ælinopæanæ puta, atque Odis Pindaricis, cum Joelis Paraphrasi illa Poetica multo quæsitissima, procul dissitus licet, & veneratus sum, & admiratus* (2)

Outre les Poëmes dont vous venez de voir le Titre, Simonides composa. *Hercules Prodicius: Pentesilea: Flagellum livoris: Ode in victoriam, nuptias, atque Obitum Zamoscii, inque victoriam Thomæ Zamoscii Joannis filii &c.* (3)

Ex Auto-

(*n*) *Tiré de* Starovolscius *in* Centum Script: Polon. *pag.* 130 131.
(1) Georg. Douza. de Itinere suo Constan. *pag.* 14. (2) G. Douza de Itinere suo Constant. *pag* 129. (3) *Voiez* Simon Starovolscius, *in* Centum Script. Polon. *pag.* 131.

V.

Ex Autographo Viri Eruditiſſimi, mihique amiciſſimi, Joſephi Epiphanii MINASOVICII *Canonici Kiiovien. cui titulus:* Viri Illuſtres Inclytæ Nationis Armenæ in Polonia.

SIMON SIMONIDES [*Szymon Szymonowicz*] Armenius Leopolienſis, quidquid in contrarium dicere conetur Bartholomæus Zimorowicz, Conſul Leopolienſis litteratus, qui illum in eo libello (quem de *Viris Illuſtr. Leopol.* conſcripſit) popularibus ſuis aſſerere ſtudet, quoque magis opinioni ſuæ fidem adſtruat, cuiuſdam Magiſtri Simonis Brzezinenſis, Viri apud ſuos Conſularis filium appellat: potior tamen habenda fides, GEORGIO DOUSÆ, IANI illius doctiſſimi Batavi filio, veluti Simonidis ſynchrono, quam Zimorovicio annis prope centum ambobus poſteriori. Ille itaque Bataviâ ſuâ profectus, cum per Ruſſiam Conſtantinopolim iter faceret, & Leopolim amicam tum Muſis civitatem, deditâ operâ diverteret, famâ imprimis tanti Viri excitus, quantus tum erat SIMONIDES; cum eo non, in notitiam duntaxat, ſed & in amicitiam pervenit, quemadmodum ipſe in ſuo *Itinerario Conſtantinopolitano* teſtatur, ubi quoque exerte Armenium fuiſſe indicat, quod alioqui neutiquam ſcripſiſſet, niſi id probe compertum & exploratum haberet, uſus familiaritate, ut & contubernio Clariſſimi Viri. Præterea nec illud omittendum, quod in rem præſentem aliquatenus facere videtur, nempe quod in uno operum eius exemplari, Amſtelomadenſibus ni fallor typis exſcripto in 12. quodque cum reliquis eiuſdem Auctoris cimeliis in Bibl. ZALUSC. Varſ. diligenter adſervatur, manu cuiuſdam eâque non recenti adſcriptum eſſe deprehendi: *is fuit Armenius*, ut taceam, inter gentis eius homines SIMOMOVICIAM aliquando Leopoli floruiſſe familiam, eamque haud incelebrem. Ex hac itaque ortus SIMONIDES noſter, Eques

Eques torquatus, qui & magno illi JOANNI ZAMOSCIO, Regni tum Cancellario, & copiarum ſupremo Duci, Litteratorum ſui temporis in Polonia facile Principi ac ſingulari Patrono, in tantum ingenium & prudentiam ſuam adprobavit, ut is ſummam de eo conceptam ſemel exiſtimationem, nunquam depoſuerit; quin & in deliciis habitum, ſuoque lateri aſſiduo hærentem, veluti Comitem individuum, ſecretioribus etiam conſiliis adhibuerit; ſuoque THOMÆ paternæ virtutis & dignitatis hæredi, ſtudiorum Eius in adoleſcentia moderatorem, morumque honorarium Cuſtodem præeſſe voluerit. Ingenio æque ad eloquentiam valuit ac Poeſim, eamque imprimis Lyricam, cuius præclara, variis editis operibus græce & latine, ſpecimina reliquit; veluti: *Joelem prophetam: Joſephum caſtum: Herculem Prodicium: Pentheſileam: Livoris flagellum: Nuptias & Obitum Zamoſci &c.* Scripſit & vernaculo idiomate elegantiſſima carmina, qualia ſunt eius *Bucolica* (vulgo *Sielanki*) XX. eclogis abſoluta; *Epitaphia* item diverſa &c. Juſti Lipſii teſtimonio, adeo in Poëſi excelluit, ut eum Catullo ſimilem diceret; vid. Geor. *Königii* Biblioth. vet: & nov. p. 257. Neque minus honorificum de eo iudicium poſteritati reliquit Clariſſimus inter Scriptores Sarmatiæ Polygraphus, *Simon Starovolſcius*, qui in eo libello, quem *de Clar. Orat. Sarmat.* inſcripſit, p. m. 91. "Si ſcriptorum (inquit) pondus examines, Græco illi Si-"monidi par, ſi eloquentiam conſideres, tum in proſa, tum "in carmine, multis gradibus ſuperior. Nam quemadmodum "apud Græcos Homerum, omnis divitis inventionis fontem "originemque pronuntiat Macrobius, ſic ego inter Sarmatiæ "Poëtas, noſtrum SIMONIDEM exiſtimaverim, qui tam per-"ſpicaci tamque luminoſo animo fuit, ut ei parem ex mo-"dernis cuiusvis nationis Scriptoribus non videam. Jam "autem de eloquentia quid diſputem? cum inter illum & "Cochanovium, quis ſuperior dicendus ſit, inextricabilem


"contro-

"controverſiam inter eruditos videam, dum millibus argu-"mentorum, modo hic, modo ille, ſuperior oſtenditur, modo "tam pares, ut lectorem iudicii dubium relinquant. Hactenus de Simone Simonide Starovolſcius, quem præterea & in *Hecatontade* ſua collaudavit. Biogrophiam eius Latinam exhibet I. B. Lotichius, in *Bibl. Poet. Parte IV.* p. 100. Polonicam, JOSEPHUS Comes ZALUSKIUS, Litteratorum & Kiiovienſium Antiſtes doctiſſimus, itidem in *Bibl. Poet. Polon. p.* Deceſſit porro SIMONIDES de ſtatione vitæ, A. S. 1629. d. 5. Maii, horâ 9. ante meridiem, vixit annos 71. *Zamoſcii* in Eccleſia Collegiali tumulatus, atque à nepote ſuo *Gaſpare Solcio*, Phil. & Med. Doct. nec non Ordinario Academiæ Zamoſc. Profeſſore, hoc monumento, quod ſequitur ad perpetuam ſui nominis memoriam, honoratus:

SIMON SIMONIDES ſitus eſt hic, cui bene credas
Congeſſiſſe Chariin omnia mella ſua.
Verſibus hic rigidas ducebat montibus ornos,
Et dulcis ſuadæ *fluxerat* ore melos.
Non illum latuit, quod pagina ſacra docebat,
Quæque canit Divæ pagina iuſtitiæ.
Noverat & culti nutantia ſydera mundi,
Noverat, excellens quod docet Hippocrates.
Principibus placuitque Viris, ſat cultus ab illis,
Illos conſilio, mente bonâque iuvans.
JANE ZAMOYSKI! tuus fuit hic lectiſſimus olim
Cinæas, rerum & flos, dulcis amorque tuus.
Illius ingenio poſuiſti maxima rerum,
Ille THOMAMque tuum ſurgere dat ſtudiis.
Illuſtres Animæ! vos hic locus unus habebat,
Et nunc una domus poſt pia fata tenet.
Nil magnum ſpirate, ô nil mortalia corda!
Gloria nil veſtra eſt, nil quoque divitiæ.

Conf. laudatum STAROVOLSCIUM in *Monum. Sarmat.* & ZIMOROVICIUM de *Viris Illuſtr. Leop.* utrumque monumenti huius exſcriptorem.

EPITHALAMIUM



EPITHALAMIUM
SERENISSIMI SIGISMUNDI III.
POLONIARUM REGIS
ET ANNÆ CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ F.

AUCTORE SIMONE SIMONIDA

LEOPOLI.

Ex Officina Matthia Garuolini. Anno clɔ. Iɔ. xc. II.

JAM ſua devexo ſucceſſit Cyntia Soli,
Jam tenebras cœlo geſtit diffundere veſper.
Jam rutilant ſtellæ, iam ſtellas Heſperus inter.
Heſperus, & ſtellas quo non formoſior inter.
Heſperus, & thalamis quo non iucundior ignis.
Quæ mora vos iuuenes, quæ vos mora blanda puellæ
Detinet? vt Regi thalamum recludere veſtro,
Vt bona ceſſetis veſtigia rite præire?
Anne quod ille epulas, inter, menſasque nitentes
Splendida regifico celebrat convivia cultu?
Hoſpitiisque animum indulget, magnamque frequentat
Lætitiam, feſto ſtudium defixus honori.
Anne qnod indomita mentem pulſante iuventa,

Impiger egregiæ latus adiunxisse choreæ,
Emicat, arguto facilis pede plaudere terram?
Et repetens totiesque redit, totiesque moratur.
Non facit hoc plena cura, non totus in hoc est.
O quot iam lentæ dixit convicia luci,
Pœne palam, tacito vaga tædia corde remordens.
O quod iam tardæ misit suspiria nocti.
Aureolæ nocti. sed nostrum tangere non est.
Prima voluptatum meditantes gaudia sensus.
Primus amor, latitatque sinu, renuitque videri.
Hoc potius curemus, eum quod velle putamus.
Ite o formosi, iuvenum lectissima pubes.
Ite o formosæ, pulcher chorus Heroinæ.
Cernitis? ut placido revoluti cardine postes
Sponte sua exiluere? ut limine ianua cessit?
Et thalami locupletem intus patefecit honorem?
Sed vos non aurum, non tantopere admirati
Censuerim varia radiantes luce lapillos,
Non suspensa super laqueata aurataque texta,
Illusumue torum gemma, illusosue tapetas.
Huc oculos, huc mi potius date mentis acumen.
Qua pudor ingenuo roseus se lumine fudit.
Qua placidos spirat mansueta modestia odores.
Qua volitat, non turbidulus, non cassus ocellis,
Non iaculis pugnax, non tinctus felle sagittas,
Sed niveus, sed lene iocans, mitissimus infans,
Castus amor, puris demulcens pectora flammis.
Qua faciles nectit concordia candida dextras.
Candida, quam nulli delibavere tumultus.
Candida, quæ pulchris semper viget incrementis.
Hoc vide, ut appositum præcessimus ante laborem.
Gressibus ut nostris sponsus cita lumina flexit.
Scilicet exemplum nostrum mox ipse sequetur.

Quin

Quin ſequitur, iam cor ſalit olli, iam ſalit & pes.
Et iam progreditur pulchra ſtipante caterva,
Heroum dextras inter, pulcherrimus unus.
O iuvenes, iuvenum o vel maxima cura puellæ,
Officium nunc vos veſtrum meminiſſe neceſſe eſt.
Vos iuvenes Sponſo ſelectum dicite carmen.
Cingite vos ſponſam Muſæo flore puellæ.
Vos iuvenes primi, vos dicite deinde puellæ.

Tange felici limen pede Regie Sponſe.

Regie Sponſe, ſatum germen Iagelonide Nympha,
Vnica noſtrorum recidivo a ſanguine Regum
Progenies, in quem domus inclinata recumbit.
Quem populoſa ſuis dignata Polonia ſceptris.
Libera cui libuit conferre Polonia ſceptra.
Libera ſed quamvis, nunquam tamen extera captans
Ante ſua, aut oblita almum pietatis honorem.
Quo natura aurigatur, quo debitus ordo.

Tange felici limen pede Regie ſponſe.

Non noſtrum eſt ficto te nomine compellare.
Candida ſed puro depromere pectore verba.
Nec tu blandiri tibi, nec tu aſueſce vocari
Laudibus impropriis, patula male credulus aure.
Blanditiæ nunquam mentem peperere beatam.
Blanditiæ nunquam famam ſtruxere perennem.
Blanditiæ Regum ſemper fecere ruinas.

Tange felici limen pede Regie Sponſe.

Nunc primum tranquilla tuos conſtantia vultus,
Nunc faciem vigor inſolitus ſignaſſe videtur.
Nunc cordi robur, nunc menti ſeria cura
Accedit, ſolidique increſcunt pectore ſenſus.
At ſpes ambiguæ procul, at nutantia vota
Pulſa volant, ceſſitque animus ſine lege vacillans.
Nempe iſtis comitata venit pulcherrima tæda

 Præſidiis,

Præsidiis, fixaque animum statione coercet.

Tange felici limen pede Regie Sponse.
Qualis, vere novo, tepidis suadentibus auris,
Ales, ab externo, longinqua per æquora vecta,
Orbe redux, nostris reddit se se advena terris,
Mansuram positura istic sedemque laremque.
Multa errat temere ante tamen, multumque vagatur,
Nunc hos, nunc illos saltus, incerta manendi,
Pervolitans, nunc hac super arbore, nunc super illa,
Præpetibusque omnem sylvam decircinat alis.
Optatos donec tandem nancisci Hymenæos,
Et sociam cupido potuit iunxisse cubili.
Haud mora, tum figitque pedem, fixoque moratur.
Deproperatque locum nido, stabilitque penatem.
Atque viam ambiguis erroribus amputat omnem.
Non illam dumeta dein videre remota,
Non procul aerio variantem limite gyros.
Cura domus stricto pressim tenet anxia vinclo;
Et sibi adesse iubet, possessaque tecta tueri.
Haud aliter, si quem iuvenum vernantibus annis,
Intulit in bivium vitæ ferventior ætas.
Qamlibet expenso vivendi tramite cursum
Dirigat, & Divos videat sine fraude vocantes.
Non tamen ancipitem potis est consistere mentem.
Quin animum, nunc huc celerem nunc dividat illuc.
In partesque agitet varias, perque omnia verset
Consilii, incertis raptans se ambagibus ultro.
Immodicus voti, immodicus studiique, speique.
Dulcia coniugii sed postquam vincula sensit,
Fæderaque admisit sola cedentia morte.
Protinus ille vagos trepido de pectore motus
Eiicit, inque statu mentem sibi collocat uno.
Tuuc habilem cura alma domus, tunc cura suorum

Vera

Vera subit, tunc tutari se se & sua quærit.
Fallor? an hic Regum ludit quoque mentibus error?
Ludit enimvero, non purpura quippe nec aurum,
Naturæ validas potis est rescindere leges.
Aut hominem exuere, aut mortalia tollere iura.
Tange felici limen pede Regie Sponse.
Nunc age, nunc toto nobis te impende favore.
Nunc nos esse tuos, nunc nostrum te esse putato.
Nunc complecti omnes, nunc incipe velle tueri.
Hic tibi blanda domus, hic sint tibi patria Regna.
Hic placida coniunge tibi dulcedine cunctos.
Omnibus hic facilem dispensa largus amorem.
Quem neque suspicio, rerum temeraria iudex,
Subdola nec tectis violet mala lingua susurris.
Hic cupias dici lenis Pater, hic placidus Rex.
Hic te cognato iungat clementia cœlo.
Tange felici limen pede Regie Sponse.
Cernis? ut in te hilares oculos, ut lucida cuncti
Ora gerant? vero ut fateantur gaudia vultu?
Non fingunt, fictis vanescit gratia rebus.
Vt linguis faveantque, utque omina pronuba iactant?
Omina voce palam, clam sed maiora precantur.
Te fore, qui priscum referas pietatis honorem.
Te fore, qui læsas doceas mansuescere mentes,
Te fore, dissidiis properes qui ponere finem,
Qui certare odiis, qui civica vulnera sistas,
Qui luxum tollas, qui non pro deside vita,
Non pro futilibus factis, ludove, iocove,
Sed rigida pro virtute, & pro fortibus ausis,
Præmia deberi monstres, æquusque rependas.
Improba quo capiat domitore licentia frænum,
Iustitiæ effusas qui tractes cautus habenas,
Neve sinas laxari auro intendive furore.

Qui,

Qui, reddasque bonis pacem, pravosque retundas,
Aureaque instituas revocato fæcla pudore.
Tange felici limen pede Regie Sponfe.
Fas tibi, fas pleno decerpere libera fructu
Dona voluptatum, & mentem diffundere honestam.
Fas, vetitis quoniam potuisti absistere cautus.
Namque nihil de te, nec finxit garrula fama.
Fama vagos Regum studiofa exquirere mores.
Fama nihil tacitum linquens, nihil abdere fueta.
Qui vetito abstinuit, concesso iure fruetur.
Tange felici limen pede Regie Sponfe.
Hinc tibi felicis nutricula candida vitæ,
Confcia mens ævi puris virtutibus acti,
Pro pietate tua, pro intacta labe iuventa,
Spondeat omnigenos fortunæ perpetis ufus,
Pura placent fuperis, puris Deus annuit ipfe.
Hinc facile magno dignam Patre concipe curam,
Qualem vel fenior quondam ævo fimplice Piastus.
Cuius posteritas, multos dominata per annos,
Præfuit his longum regnis fuperante propage.
Vel qualem armipotens Iagelo, tua maxima origo,
Quem tu atavos inter memoras, procul ultimus heres.
Vt tua posteritas istis deducta Hymenæis,
Æternum has regnet terras, vel non nifi fero
Deficiat, quando mortalibus æternum nil.
Nec foboles hominum duntaxat & inclyta fæcla
Deficiunt, quin regna palam moriuntur & urbes,
Et folido intereunt exstructæ adamante columnæ.
Verum Diis pietas curæ eft, auctoribus illis
Nil non fperandum, nil non animo amplectendum.
Queis tua fi certo mens fe devinxit amore,
Cætera iam prono tibi devehet alveus amni,
Et cœlum factis, & famam æquabis Olympo.

Tange

Tange felici limen pede Regie Sponse.
Sed dum te affamur, trahimus dum tempora verbis,
Ecce tibi Regina, tuæ pars altera vitæ,
Quam iurata fides sancto tibi fœdere vinxit,
Ambrosium pudibunda pedem in penetralia ponit.
Illam mille manus matrum, mille ordine longo
Fœminei circum cœtus cinguntque, graduque
Huc illuc intermisto comitantur euntem,
Et lateri agglomerant, & confertim agmine ducunt
Qualis ubi dites Arabum rarissima lucos
Deserit, atque alium Phœnix demigrat in orbem,
Innumeris avium comitata. it lucida turba,
Aligeræ circum volucres, densantque catervas.
Illa secans medium, placidam vix commovet alam,
Auricomosque procul pandit nitidissima cultus.
Sole repercusso radiat cervixque caputque.
Sed iuvenum non est sponsam percellere laude.
Laus iuvenum, sponsæ insuavis, nec amica marito.
Vos ad mandatas partes transite puellæ.
Nec satis est roseo lepide arrisisse labello,
Amplius addendum est, quod flagitat æmula Musa.
Musa decus iuvenum. sed næ nos prorsus inepti,
Qui, sua lusciniæ ne desit suada timemus.
Cedamus potius, non inchoat impete anhelo,
Quem manet expensis victoria viribus audax.
Tange felici limen pede Regia Sponsa.
Regia Sponsa, novum nostris decus addita terris,
Austria, quam pulchro genuit lætissima partu.
Austria magna parens Regum, magna Induperantum.
Vt sua pœne illi moderanda Polonia sceptra
Traderet, ast aliter Divum tulit æqua potestas.
Quæ sola auricomos cingit diademate Reges.
Nec sibi quisquam hominum temere hoc adscripserit unquam.

Tange

Tange felici limen pede Regia Sponsa.
Eheu, quantus equis sudor, quantusque virorum
Ardor iit, rapidis stringentum cædibus enses,
Mutua dum gemini tendunt in vulnera Reges,
Auspiciumque manu captant, quem dextera victrix
Snblimem ostendat solio potioribus armis.
Quales quum adverso commissi cardine venti,
Horrifer hinc Boreas, illinc violentior Auster,
Concurrere mari medio, tenduntque procellis
Exsuperare, animisque sibi adversantibus obstant.
Multa inter se se iactautes flabra furorum.
Victorem tandem fluctusque undæque sequuntur.
Non tamen interea, se protinus amovet omnis
Tempestas, tutive natat clementia ponti:
Quin super usque etiam trepido se turbine miscet
Aura tremens, latratque sonor cava littora circum,
Relliquias venti exercens perstante fragore.
Donec Pollucis, vel Castoris aurea stella
Protulit os sacrum cœlo, nimbosque fugavit,
Et placidam instituit firmata pace quietem.
Tum fluctus posuere, vadisque relabitur unda,
Et tuti ad cursum distendunt lintea nautæ.
Tange felici limen pede Regia Sponsa.
Aurea tn nobis, mundi de parte serena
Stella nites, tu pacato cum lumine sidus.
Omnia quo exoriente, mali fera semina motus,
Et misera ambitio, socia cum lite facessant.
Vulnera quæ in solidum adducas, quibus alta cicatrix
Vsque notam ambiguo liquit sub fomite honoris.
Scilicet æternum sævire ignobilis ira,
Atque humiles animi soliti nescire quietem.
Ast ubi ubi conspicuas discordia strenua mentes
Impulit, & iustis rapuit fervoribus arma.

Quam-

Quamprimum ſublime regens, vis alta Tonantis
Fatorum explicuit manifeſto arcana favore,
Quem regnare velit, pulchrum cui mandet honorem.
Abſiſtunt moniti, Divumque ſequuntur habenas,
Et taciti ſolitæ retractant munia pacis
Quique modo alternum armati petiere cruorem,
Hos videas demum cognato ſanguine iungi.
Tantum diſcedunt a vulgo Regia corda.
Tange felici limen pede Regia Sponſa.
O utinam, quod vota palam communia poſcunt,
Quod ſibi connubio ex tanto ſpe quisque precamur,
O utinam dulci connectas pectora nodo.
Dotalesque animos, magnorum & fædera Regum,
Fortia nobiſcum revoces ſub vincula amoris.
Barbarus ut tandem, populorum publicus hoſtis,
Sentiat hoc, rabiemque metu deponat aperto
Imponatque modum prædæ, imponatque rapinæ,
Turpiter & miſeram dediſcat vendere pacem.
Tange felici limen pede Regia Sponſa.
Heu quibus ille ferox, minimis ab origine prima
Prodiit auxiliis, heu quam prope tempore puncto
Impoſuit ſe orbi, rerumque abſorpſit habenas.
Sed qui non concors & perſtans impete robur
Accumulare poteſt? quid non diſcordia contra
Quamlibet immenſis deperdere viribus aucta?
Quam nos heu odiis nimium exercemus acerbis.
Detegimusque hoſti latus, & nos prodimus ipſi.
Ille vigens creſcit, nos attenuamur inertes.
Et niſi rem melior reparat concordia quondam.
Ni communem hoſtem aggredimur communibus armis.
Virtutemque animis accerſimus, otia lenta
Excutimus, curisque acres duramur acutis.
Non longum in medio tempus, quin maxima tandem,

Patronis nobis, oppugnatoribus illis,
Tota afflicta solo mærebit gloria Christi.
Tange felici limen pede Regia Sponsa.
O tenero producta sinu, & felicibus arvis,
Queis olim omnigenum pax sufficit alma nitorem;
Blanditurque vices lætas, & gaudia dia.
Bellorum procul aspellens immitia sæcla.
O matris lepor, Austriadum o perblanda voluptas.
Incipe iam calathos, iam molles incipe curas
Linquere, & horrori mentem consuesce severo.
Non tu regnorum, aut populi Regina quieti.
Non tibi secessus vitæ spondemus amœnos.
Aude animo haurire pericla, & te quoque dignam
Finge viro, cui sceptra manum Mavortia tangunt,
Quem sibi præposuit duris gens aspera bellis.
Tange felici limen pede Regia Sponsa.
O quoties placidi media inter munera somni,
Dum tranquilla quies securos distinet artus,
Horrida fama aspro abrumpet rumore soporem.
Et tibi non solita quatiet formidine pectus.
Hinc aderit Moschum infida qui pace frementem,
Nuntiet, & tectis meditantem anfractibus arma.
Qui tacitus frænum modo mordet & æstuat ira.
Vsque memor, Stephano quantum domitore superbam
Demisit frontem invitus, cessitque lupato.
Parte alia Turcæ (quis enim non mentis egenus,
Spondeat a Turcis quicquam moderabile & æquum)
Fnlmina dirarum obiicient male sana minarum.
Et caussas caussis nectent, semperque reposcent,
Qua via facta semel facili pede duxit hiantes,
Fœdum aliquid, pretioque pacisci fœdera amabunt.
Nec prius absistent, quam post augmenta pudenda.
Quos frustra attoniti placabimus, acrius ibunt

Auro

Auro durati, & fuceffu divite aggreftes.
Arma viri, arma, imbelle armis non imperat aurum.
Irritat magis, & facit in contemptibus effe.
Quid turpes Afiæ Chanos, Scyticamque procellam
Commemorare opus, & ftrages numerare quotennes.
Heu impune palam prædonum immania furta.
Audis? ut fubitis refonat clamoribus æther,
Podoliam flammis ardere, abigique rapinas.
Heu iuvenum florem, & lectiffima corpora matrum,
Illuftresque nurus, forma & fuperante puellas.
Ruffia queis viduata æterno vulnere languet,
Spem miferam, atque omnem prope defperata falutem.
Nusquam præfidio apparente, aut vindice dextra,
Nulli defenfata, ipfi miferanda vel hofti,
Ceu vacuis ovium campis erronea turba,
Cui neque paftor adeft cuftos, nec amica canum vis,
Stat faturans rabiem, & ieiunia fæva luporum,
Muta parata neci, lanienæ expofta crueutæ
Tange felici limen pede Regia Sponfa.
Cladibus in tantis, tantarum in turbine rerum,
Ne muliebrem animum, ne gefferis inclyta virgo,
Ne male tuta tuo, ne fuaferis otia Regi,
Ne latus armigerum ferri fpoliaris honore.
Quin age, te cupiente, & amante illuftria facta,
Audax infeftis fe fe offerat hoftibus ultro,
Et decus æternum capiat non defide dextra.
Illum implacati fuefcant horrere Tyranni,
Illius ad nomen trepidet procul ultima Thrace,
Ille tibi magnis oculos fatiare triumphis,
Ille tibi vinctos properet deducere Reges.
Servitioque tuo adfcribat, natasque nurusque
Captorum Regum, ut dominam te nofcere difcant,
Vt penfa inftituant fub te glomerare magiftra,

Vtque tuam verrant humiles non ſegniter ædem.
Quamvis ille tibi nunc ſidere purior aureo,
Seceſſu in thalami ſplendet nitidiſſimus unus.
Tu monitis noſtris tamen auſcultare memento.
Et melior forma, & totos florentior artus,
Tum tibi fulmineis veniet ſpectandus in armis,
Sublimi provectus equo, mille undique circum,
Hinc acies atque hinc acies complexus ovantes,
Pulvere Barbarico inſignis, miſtoque cruore.
Nec tu alia ambroſio decerpſeris oſcula guſtu
Dulcius, aut decerpta avido repetiveris ore,
Quem quæ ſub galea invenies libata rigenti.
Nec mage ſub facilem amplexum cupientior ibis,
Armatis quam quem porget tibi ferreus ulnis.
Dulce viro patris pulcherrima gloria rebus.
Dulcior ipſi etiam generoſo in coniuge ſponſæ.
Hæc olim præſumpta tuo ſtet pectore cura.
Nunc quod te monet hora, & flexanimes Hymenæ,i
Hoc age, teque tuo propriam blandiſſima trade.
Tange felici limen pede Reg a Sponſa.
Virginibus iam te affari non amplius æquum.
Iam thalamus te habet o pulcherrima, iam numero tu
Eximeris noſtro, nec te lux caſtina nobis
Reddet, iam matronarum te cœtibus addis.
Blandum Sponſe tibi, blandum tibi Sponſa leporem.
Centum Sponſe tibi, centum tibi Sponſa precamur
Concordes annos, ad limina longa ſenectæ.
Et ſobolem pulchram, ſobolem quæ his imperet oris,
Ad metas rerum, qua terminus ultimus ævi.

Jeſu Chriſto Laus & Gratia.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDÆ

CASTUS JOSEPH

D. STANISLAO

SOCOLOVIO

THEOLOGO REGIO: VENERABILI MIRACULO

INGENII ET LITTERARUM: VENERABILIORI VIRTUTE ET MORIBUS: PATRI SUO IN CHRISTO: SIMON SIMONIDES LEOPOLIENSIS LIB: MER: DE.

DICAVIT.

PERSONÆ.

MALUS DÆMON.
JOSEPH.
FAMULI.
FAETIFER.
JEMPSAR.
NUTRIX.
NUNTIUS.
CHORUS ex puellis Ægyptiis.
SEMICHORUS.



MALUS DÆMON

VEnio, inferûm domos, & umbrarum specum
Linquens; ubi, telluris in penetralibus,
Superis seorsum, habemus infimi dii;
Vocare si par infimos; qui maximam
Rerumque, honorumque, occupamus gloriam;
Sæclaque hominum universa, & hic viventia
Nostro usu, & olim functa capimus mancupi.
Esto, creatos esse nos ab altero:
Esto, illo ab ipso, conditam orbis fabricam,
Cœloque nos pulsos ab ipso eodem; & his
Datos locis, ubi horror, & squallor vigent:
Esto omnia hæc, creator, & rerum parens,
Superbiat scilicet, alatque nominis
Vmbram; penes nos interim, solida Imperi
Maneat potestas: templa nobis, victimæ
Nobis, sacri nobis dies, trophæaque,
Donariaque struantur: ad pericula
Nos invocemur: nos bonarum præsides
Rerum feramur: denique, ipsi numina
Celebremur, & noscamur; ille incognitus
Cœlo exigat sæclum. parum interest, ubi
Agas loci, at agas qualis, id vero interest.
Solenne præterea hoc genus nostrum tenet,
(Divinitatis quæ fides certissima est)
Honore macti, ut gaudeamus; male habiti
Impune non sinamus omnimodis modis;
Cuius animi, exemplum vel hodie, isthic palam
In iuvene nequam dabimus; & testabimur,
Quid conciti ira, quid benigni possumus.

Non sim,

Non ſim, qui haberi volo; niſi effectum illicet
Do, quod loquor. men! quem Senatus, quem aula, quem
Rex, quem populus, & purpurati omnes pavent!
Quem tota gens Ægyptia, aut, quem tota gens
Mortalium, quæcunque, & ubicunque, aſpicit
Solis iubar; ſacrificiis, altaribus,
Honoribus, menſisque certatim colunt!
Men' eimodi, inquam, numen! unicus puer,
Hebræa peſſima ſoboles, fæx ſervuli,
Contempſerit! inultum id ei abierit pervico!
Dabitur opera, ne ſcilicet abeat; & quidem
Pridem, ſciens peperceram; quum commodum
Necare, fratrum inter manus poſſem; ratus,
Doctum periclo, mitiorem poſtea
Nobis futurum. ſed video, non in loco
Me miſericordia uſum; acerbiorem enim
Invenio; quanquam, quod caput odii huius eſt;
Cum ſtirpe tota Hebraica, vetus hoc mihi
Viget duellum; ex quo potiti gentium
Sumus, hominumque examina, in prædam meam
Ceſſere; tum Regem ſupremum ipſum poli,
Ita comminatum ſerio commeminimus:
Brevi, brevi olim tempus adfore; fœminæ
Cum ſemen, Hebræus iuvenis, hæc interim
Poſſeſſa noſtra regna, vi expoliaſſeret;
Pedibusque ſæviret ſuper caput meum.
Id ne habeat, arcta cautio eſt; & ſedulo
Cavi hactenus: ideoque quamcunque indolis
Alicuius, aſpexi propagem maſculam;
Inſector ultro: aut ego neco, aut mulcto male;
In patribus, in avis, in atavis, gnaviter
Hoc perpetratum: cum, quaſi ex induſtria,
Exortus hic puer eſt; ſtatim a puero, Deo

Illi

Illi altero, addictiſſimus; contra, mei
Contemptor acer; non tuli impune; & prope
Patrata cædes, dexteris fratrum fuit:
Sed miſeritum eſt pueritiæ; potiusque in hanc
Oram, abdicandum ſervituti cenſui;
Si forte, cum loco, atque fortuna, inſolens
Exueret ingenium: aſt nihil profecimus:
Ferocius agendum eſt; nocensque machina,
Torquenda quamprimum; neque ea minimæ notæ;
Sed quam oppido fortiſſimam perſpeximus:
Mulier, mulier, inquam, iuventæ maxima
Siren: repertrix prima, mortis, & mali,
(Neque enim alio reti, aucupatum imus animas
Plures; quam amore, & fœmina) hæc, hæc, inquam eat
Siquidem gradus iam factus eſt pulcher ſatis.
Cui iſte ſervit ſervitutem, eſt Fætifer,
Summo loco vir, ſumma apud Regem fide:
Iempſar illi uxor, ſupra humanum modum
Pulcherrima; eius ex animo ego ſuſtuli
Mariti amorem, & ſervuli huius intuli:
Quem ſi gerentem fecerit mori ſuo;
Confecta res eſt: noſter eſt: victoria eſt.
Sin obſtinatus manſerit animo fero;
Tamen, facinus audacis, atque ſtrenuæ
Dabit mulieris: heu Iempſar, heu mea
Iempſar; in quanta Charybdi, nunc tuum
Pectus trucido! ſed quid ad me? dum modo
Vlciſcar hoſtem: tu, vel alia, vel alia
Pereas, parum moror: unico iſti, fœminas
Omnes, velim impenſas; potiri modo queam:
Sed ipſe procedit foras; ego me aufero.

JOSEPH.

JOSEPH.

Vosne etiam, Herum, ad hanc celebritatem
Sacrorum, omnes comitaturi
Tecto exitis? nullus ne hic penes
Decumbentem, præsto aderit Heram?
Obsequio si quid, vel facto,
Opus adveniat; qualia multa
Circa ægrotos, plerumque usus
Postulat; ut non satis una manus
Officio sit.

FAMULI.

Vera quidem tu censes: atque Herus
Digrediens, hoc itidem nobis
Præceperat; ut Dominæ præsto
Essemus: verum ipsa, alio nos
Præcepto, ad sacra amovet; aiens
Primos medicos, præcipuosque
Vitæ artifices, Divos esse:
His quandoquidem solennia sunt
Festa per urbem;
Iremus omnes supplices, atque illius
Iacentis, impleremus absentem vicem:
Ita spem esse, posse sanitatem consequi:
Te, cæteris cum fœminis, satis sibi
Dum nos redimus, usui domi fore.
Ergo imus, & voto obsecundamus pio.

IO. Siquidem Dii isti sunt; vel hæc pietas pia est.
FA. Tibi forsan impia, qui supra Dominos sapis.
IO. Nempe, Dominos supra sapio, dum servio.
FA. Atqui Deos, quos hi colunt, tu non colis.
IO. Servire Dominis, & colere Deum; aliud est.
FA. Cui servit Herus; huic serviendum est quoque tibi.

IO. Herile corpus eſt, quod emit; animus Dei.
FA. Annon Heriles quoque Dii, quorum animus eſt?
IO. Deos Heriles neſcio; meum ſcio:
FA. Ergo, quod aio, nempe plus ſapis, quam Heri.
IO. Cum Heris ego ſapientia, haud contenderim.
FA. Verbo haud facis; verum ſolens facto facis.
IO. Bona verba quæſo: *FA.* Num loqui videor mala?
IO. Modeſtius mecum agite; *FA.* Nil magis volo.
IO. Neque memini meritus aliter animo meo.
FA. Fatemur: atque integritatem candidæ
Mentis tuæ, inque nos amorem, agnoſcimus:
Et quicquid, ab hominibus amicis, mutua
Poſcit fides; debemus affatim tibi:
Tu namque cum primum immigraſti in hanc domum;
Fortuna quaſi tecum immigravit huc bona:
Mitto omnigenam abundantiam rerum omnium:
Mitto, annuam ubertatem agrorum, & meſſibus
Rupta horrea; innumeros greges mitto pecorum:
Mitto, auri, & æris, pæne, cornu copiæ;
Duntaxat in rem quod facis noſtram loquor.
Diſcordiis antehac ſcatentem iſtam domum;
Perpetuaque odia, inter ſe alentem familiam;
Tu, amore certare docuiſti haud iurgiis:
Aurem, tu Herilem, obſeſſam adulatoribus,
Tectis ſuſurris liberaſti; & publicum
Audire veritatis inſueſti ſonum;
Non blandiendo, verum agendo gnaviter.
Potiri Herilem gratiam, monſtraſti iter;
Herumque, non tam dicta cum dulcedine,
Quam facta cum virtute, munerarier
Merito tuo inſtituiſti; ut inde, nulla iam
Domus ſit, ubi familia, vel frequentior,
Vel more cultiore, vel in Heros fide

Maiore

Maiore, vel quæ niteat elegantius;
Cernatur; unumquemque Hero, ex æquo & bono
Ornante: tuque cum inter omnes principem
Facile locum teneas; Herumque habeas prope
Tuum; ita tamen mentem modeſtam deprimis;
Quaſi ultimus, nullique ſis rei: neque
Te unquam malo quisquam uſus; omnes commode
Vnde, & ſupra invidiam es; & omnibus viges
Chariſſimus, iuxta atque honoratiſſimus.
Idcirco, & illa dicta mea, nolim putes
Animo malevolo dicta; ſed quoniam te amo,
Eamque fortunam perennem tibi aveo;
Deos colendos cenſeo; a quibus omnia
Bona dantur; & ſervantur a quibus bona.
Tu, ſuaſionem forte ſi haud ſequeris meam;
Saltem, profectam animo malo, non exiſtima.

IO. Num quid boni vobis ſit ex me, neſcio:
At ſi fieri aliquid, benigne agnoſcitis;
Id vero ego, a ſolo Deo meo, dari
Agnoſco; vosque idem velim ſentire; & hunc
Solum colere; quanquam hæc negotii haud ita
Exilis eſt perſuaſio; quin non prius
Deum doceri poſſe duco; quam ipſemet
Se ſe ſciendum inſinuet ægro pectori.
Nunc ite: & illos inſtituto patrio,
Quos Rex colit, colite; facem donec aliam
Vobis, ſuperior ipſe Deus illuminet.

FA. Imus; ſed animum mihi tuus ſermo pupugit.

IO. Illi abierunt;
Mihi neſcio, qua frigida formidine
Cor obriguit: aures ſoneſcunt: horruit
Capillus: arcta mens, velut magni mali
Præſaga torpeſcit: quid eſt! aut quid me erit!

 O cælites,

O cælites, o Rex ſupreme cælitum:
Terra quaſi hauriri, angulisque ab omnibus
Videre videor appeti: pæne redeo
In vetera: talem pæne mentem illo die
Habuiſſe repeto; a fratribus quum venditus
Ex libero homine, ſervus hæc in loca abii:
Sol ipſe, triſtius mihi quodammodo
Lucere cernitur quid eſt! aut quid me erit!
Noctem quoque, & ſomnum, quibus cum tædiis,
Quibus cum acerbitatibus, & immitibus
Inſomniis, exegi! amari me a Deo
Nimis putem, niſi pereo: quin ſomnium,
Quale antea nunquam, horridum, immane, aſperum
Vidi: appetentem circiter novum diem;
Videbar in pulcherrimam quandam alitem
Mutarier, candore certantem nivi;
Aurasque penna permeabam ſplendida;
Cum derepente, in me cucullus impetum, a
Tergo facit: formamque perſequens meam,
Eo uſque proceſſit ſequendo; donicum
Sub terream quandam ſpecum me impingeret;
Pedore, ubi & ſqualloꝛe quaſſabar gemens.
Neque ſopor, illud erat; ſed uſque expergitus,
Totis volutim contremiſcebam artubus;
Gelidusque ſudor, membra pervolgaverat,
Guttis renidens, atque laſſitudine.
Tum corripior anceps cubili; & ſupplices
Cum voce palmas cœlitum extendo patri,
Meliora poſcens: exque ea hora perpetim
Torpeo animi; & præſens quaſi periclum horreo.
Quid eſt! quid erit! eia, eia anime, quid proijcis
Spem! quid fatiſcis! comprime anxitudinem:
Vivit Dominus, ille Dominus vivit; ſine

Cuius

Cuius voluntate, pilus haud defluxerit
Capiti tuo. tun' immerenti tibi mala
Dari! bonave bene promerenti dixeris!
Plusve autumes laboris impostum; solens
Quam ferre possis! do manus, do equidem manus
Domine: tuum imponere; subire esto, meum:
Vel occideris; in te tamen fides mea:
Tu servituti mancipasti: tu ex sinu
Patris, pusillum me abstulisti; sit tibi
Laus, atque honor: tantum iuventæ sis memor
Ætatis impotentis, atque improvidæ:
Cumque mala das; tolerantiam, & constantiam
Simul da: ero, aut non ero; moriar aut sospiter:
Tibi moriar, tibi sospiter; sim, absim, tuus.

C H O R U S.

STROP. I.

Petra celebris est hic
Quædam, vitrea dis aqua;
Fontemque expositum urnis, saxo
Iaculans supremo.
Apud hanc, amica quæ-
-Dam est mea; flumineis
Pepla liquoribus
Tinguens; superque ardua dorsa rupis
In sole aprico expoliens; ea atrum
Nuntium mihi insusurravit.

ANTISTROP. I.

Sontica lempsar ictam
Peste, ægra domi occulere
Membra; & tæniolis caput obnu-

-Bere

-Bere flavum; eamque
Diem abiffe tertiam
Muneribus Cereris.
Ambrofium os fuum
Ex quo abftinet; cor tacito dolore
Vltro exedens; pœneque terminum Orci
Saucia, ante tempus appellens.

STROP. II.

Anne tu Domina ex Pane!
Anne es concita ex Hecate!
An turba ex Coribantum!
An matre montana ex multivaga!
An te impulit feris pollens
Dictinna! libi ob iners
Opus, & habita facra profane, ira-
-Ta! infanit namque etiam per
Terram illa; per pelagus-
-Q. urget vaga vada ventis.

ANTIST. II.

Anne Fatiferum, quisquam
Alter vir, tuum Dominum,
Probro addicere tentat!
Furtum illius molitus talamis!
An de tuo tu inaudifti
Non dulce tale aliquid!
Quod te vitæ faturet mox,
Vinctamque lecto animam
Nodis cruciet amaris.

EPOD.

E P O D.

Solet quoque ægræ, propagini
Fœmineæ, creperum malum
Puerperii, & inerti-
-Ae, excors naufea adeffe; meum hæc eadem
Tranfiit alias uterum incillans.
Obftetricem aft cœligenam,
Divam arcitenentem,
Artemin, adii:
Præfto femper adiutrix cum
Divum adfuit favore.

A N A P E S T I.

Verum eccum, pro foribus nutrix,
Hanc ipfam, extra talamum ductat,
Horrens, atra nube fupercili:
Hoc quicquid fit, difcere avet mens.
Heu me, quam væ pallida Dominæ
Facies; quam illum primum florem
Formæ penitus amififti!

N U T R I X.

Miferanda hominum vita, & morbi
Ter miferandi:
Quid iam faciam? aut quid non faciam?
En tibi clara ea lux. en hic æther,
En apricum, en Sol, en patulæ auræ;
Quorum cupiens, unum id in ore
Nuper habebas; furgere, linquere,
Infelix ftratum; procedere,
Vefci cœlo; en, quam fubito iftud
Faftidis!

Faſtidis! ſtratumque iterum appetis!
Reſpuis omnia; nil tibi volupe eſt!
Quod adeſt damnas: quod abeſt poſcis;
Mox quoque id ipſum, horres & refugis:
Quid iam faciam tibi! vel quid non
Faciam!
Ægrotem potius, quam ægrotos
Curem. ſimplicior enim hæc labes;
Doleas ſi ægrotes: ſi ægro adſis;
Et menti dolor, & manibus labor;
Omnis vita hominum ingratiſſima;
Nec requies hic ulla laborum.
Certe aliam vitam, hac potiorem
Tenebræ offuſis nubibus arcent;
Nos tamen efflictim hanc deperimus;
Quæ ſub ſole hic obvia claret;
Vitæ propter inexperientiam
Alterius, rerumque ſupra nos;
Fictisque ultro ferimur nugis.

JEMPSAR.

Suſcipite humeris; ſuſcipite ægram,
Tollite feſſam; ſolvor nervis
Omnibus; omnia lapſant membra:
Fulcite caput: fulcite ægra
Colla: rotatur mundus: currit
Terra; cado, cado, pereo: date mi
Date veſtram manum;
Suſcipite meam, ſuſcipite manum;
Ventum facite, demite tæniam
Capiti; gravis eſt, gravis eſt, ſolvite
Crinem: ach me, ach me.

NU. Obſir-

NU. Obfirma animum; neque te toto
Corpore proiice filia:
Qui placidum ſe ſe, & generoſum
Morbo impertit; minus ægrotat:
Iſta nati lege homines ſumus;
Multa in vita perpeti oportet.

JE. Heu quam parvi culmine tecti
Rure in vacuo, vivere ſervam
Dulce foret: quam fonte ex puro,
Puris lymphis, ſedare ſitim:
Somnumque vdo gramine inire.

NU. Filia, filia, quid deliras!
Quid te oblita es! ſolam te iſthic
Reris! ne mihi, ne quæſo hac in
Turba, exſenſos ſermones ſere;
Qui te mentis captam infament.

JE. Age fuſum mi, date qui filum
Ducam; libet ad lumina ſera
Flammæ hibernæ, pervigilare;
Non ſoli vivunt opulenti:
Ducite nuptum me: urite faculas:
Induite oculis, crocinum flammeum;
Servo cupio, ſerva locari.

NU. Apage obſecro, dicta indicta hæc:
Me miſeram, num vere deſipis!
Nam quid tibi cum fuſis Dominæ!
Aut quid Heræ cum ſervarum operis!
Quid cum faculis, pridem nuptæ!
Me miſeram, num vere deſipis!
Lymphæ puros latices poſcis!
Non tibi vivo ſaliens pumice,
Fons, per mediam murmurat aream;
Quo cupida ſitim ſtinguere poſſis.

JE. Signum pecori, numerum frugibus
Libet imponere; libet occludere
Resinis dolia; condere, promere,
Libet omne penu; famula o Domine
Sim tua; sim tua serva o famule.

NU. En quale iterum dixti dictum!
Modo te aiebas, sera ad lumina
Fusum ducere; iam media inter
Armenta erras, numerasque pecus;
Artem hæc poscunt ariolatricem:
Certe aliquis te, filia, Divum
Vexat, sanumque amputat animum.

JE. Infelix ego, quid tandem egi!
Quo deveni! quo rationis
Itere ex recto, devia flexi?
Desipui, cecidi, icta flagello
Divum: ach me, ach me.
Obnube mihi; obnube caput, mea
Mater; oculum lacryma perpluit;
Facies conturbata rubore est.
Ach me, ach me.
Si ex vitiis resipiscas; dolor est:
Si cum vitiis vesanire
Porro pergas; porro habeas malum;
Præstiterit, nil gnarum, nilque
Oppetiisse scientem.

NU. Obnubo; sic utinam mors me
Subito obnubat:
Nam quo vitæ prolixæ usus?
Nisi ut adversis pluribus instruat;
Multa tamen me docuit senium;
Quorum volupe est vel meminisse:
Et tu filia crede expertæ:

Nunquam

Nunquam vitium contrahere optimum
Equidem duco; at vix humanum;
Soli etenim Dii ſunt ſine noxa;
Homines, labimur, & conſurgimus;
Quanquam ſurgere, ſit cum magno
Morſu animi, magnoque pudore:
Surgendum tamen eſt, potius quam in
Sorde iacendum; hæc altera tabula eſt,
Poſt naufragium: non reſipiſcere,
Sed graſſari, per ſcelera in ſcelus;
Pluſquam inſanum iudico, & amens:
Porro quid virtus, quid vitium
Ignorantem, velle perire;
Bruta eſt pecudis.

JE. Promptius iſta eſt verbo dicere
O mater, quam facto oſtendere.
Durum; quod dolet, vt non doleat

NU. Fateor namque tuo ipſa dolore
Doleo: ætatemque meam contero:
Si modus ullis eſt ſervandus
In rebus; amicitias cenſeo
Quam mediocres miſceri; neque
Intimam ad animæ haurire medullam.
Vt quod volupe eſt; ſit tractabile;
Sive intendere, ſive remittere
Libeat; verum hoc indigniſſimum;
Binum, unam animam ferre dolorem:
Atque ego nunc, ad mea privata
Damna, tuo etiam affligor damno.
Quin, vitæ quoque, nimium ſtudium,
Officere magis, quam proficere,
Habitumque bonum corporis aiunt,
Frangere potius, quam ſtabilire.

 Nimium

Nimium omne, minus laudo; fiquidem
Ne quid nimis; ut docti fuadent.
CH. Mulier fenex, Dominæ meæ, fidiffima
Nutrix; video quidem palam infortunium;
Verum eft in obfcuro: quid hoc mali fiet;
Scitari igitur ex te, atque difcere volumus.
NU. Scitans, neque ipfa fcio; fateri enim abnuit.
CH. Neque eloquitur exordium ægritudinis!
NU. Ad idem redis; filefcit ufque hæc omnia.
CH. Quam concidit: quam tabuit: quam marcuit.
NU. Non potuit aliter; tres dies cibo abftinens.
CH. Morbine vitio? an ita fciens ut fe enecet?
NU. Plane enecet; deliquium ad animi ufque abftinens.
CH. Mira memoras; quid Herus! vel ea non percipit!
NU. Occultat ipfa; neque fui indicium facit;
CH. Quid! intuens vultum, videre non poteft!
NU. Quid ni videat! aft illa fimulat malum aliud.
CH. Quin tu ipfa tormentum aliquod adhibes! & mali
Fontem elicis! vel prece; vel inftigans minis.
NU. Ad cuncta defcendi; nihil potui tamen;
Verum neque hanc vicem, remittam hilum ab animo;
Vel tu ipfa, præfens ut fuas teftis mihi;
Qualem ego me Heris indulgeo male-habentibus.
Age, o caput charum, prius quæ dicta funt,
Vtrinque funto indicta; tuque lætior
Frontem explica; dimitte vero obftipum iter;
Atque adeo, ego ipfa ficubi fui durior,
Dimitto; ad aliaque meliora dicta eo:
Age, fi tibi, quod dicere pudeat, dolet;
Hæ fœminæ, callent mederi fœminis;
Modo creduas illis; boni aliquid confulent.
Sin' ad viros quoque morbus eft volgabilis;
Eloquere, medicis ut negotium detur;

Age;

Age; quid ſileſcis? eſſe mutam non opuſt;
Sed, vel redargue, male ſi videor loqui;
Vel ſi bene; bonis da locum ſermonibus.
Dice aliquid: oſtende os: ſpeci huc: heu miſera ego.
O fœminæ, fruſtraneus labor meus;
Ibidem a prioribus abſumus; neque enim antidhac
Verbis movebatur; modo etiam reſpuit:
Hoc quoque tibi ſcias; vel mari aſperiorem, ego
Te iam putaro; ſi mori cruda obſtines;
Teque Dominumque tuum, tuosque liberos
Prodens; quibus plagoſa mox aliqua imperet
Noverca; miſerosque miſeris tractet modis;
Vel ſervoli ipſi peſſime uſque inſultitent;
Vel iſte, qui ante te potitur nunc domo
Joſippus. IE. Ach me. NU: pungit hic te ſcilicet.

IE. Perii; occidis me mater, undique occidis;
De iuvene eo, ſit obſecro ſilentium.

NV. Vide, ut ſapis! ſapiens tamen, dedita opera,
Servare te tibi, tuisque negligis.

IE. Amo liberos; ſed iactor alio turbine.

NV. Verumtamen puras manus fers crimine.

IE. Manus quidem puræ; aſt animus ærumnam habet.

NV. Num inimicus aliquis, conſcit in te aliquod malum!

IE. Amicus exeſt; non volentem, non volens.

NV. Num Fætifer Dominus facinus in te facit!

IE. Vtinam ne ego illum inveniar afficiens male.

NV. Quæ tandem ea eſt acerbitas; quæ urget mori!

IE. Sine me mihi nocere; tibi enim noceo nihil.

NV. Non vero ſino; tuum malum, meum malum.

IE. Apage, abſtine manum; hæc quidem eſt iniuria.

NV. Vel genua tua tenuero, neque demiſero.

IE. Mala, o miſera, tibi, ſi reſciveris, mala.

NV. Quod mihi malum maius! tui quam amiſſio;

IE. Occi-

IE. Occidis; honori mors mihi; probro ſalus.
NV. Cur me hæc honeſta poſtulantem non doces!
IE. Siquidem ex honeſtis machinamur turpia.
NV. Futura forte honeſta ſi narraveris.
IE. Diſcede per Deos, manumque omitte mi.
NV. Non fecerim; qvum tu, quod oro, non facis.
IE. Jam facio; pervincis ſacra hac manu tua.
NV. Age, ocyus fandi capeſſe exordium.
IE. Quid ego miſera dicam! ſine, ach mater, ſine.
NV. Jam pollicita; fidem cave fefelleris.
IE. Fallere fidem præſtat; quam iniqua proloqui.
NV. Non in bonis, ſed in malis, conſulto opuſt.
IE. At non potis conſilio agi labes mea.
NV. Nil tam mali eſt; quod conſulens, non explices.
IE. Rem perditam, nulla explices, vi conſili.
NV. Servantur urbes perditæ vi conſili.
IE. Ergo tuo tandem periculo loquar.
NV. Loquere, vel in periculum vitæ meæ.
IE. Quisquis ſceleris anſam dat; an ſcelus facit?
NV. Pars una ſceleris, huius, huius altera.
IE. Quid? qui inſciens, occaſionem dat mali?
NV. Nullo tenetur crimine ignorantia.
IE. Ach me, Domine, quam pæne bis te vulnero.
NV. Num de marito quid ſiniſtri ſuboluit!
IE. Etiamne tu viros putas delinquere?
NV. Etiam vitia cadere puto in ſanctiſſimos.
IE. Nil miri itaque muliebre ſi ingenium cadat.
NV. Tenerior animus, noxiæ proclivior.
IE. Veniam ergo, mea quoque noxa iure invenerit.
NV. Non omnibus noxis venia eadem datur.
IE. Quid quæſo? quale hoc eſt, amare quod vocant?
NV. Suaviſſimum, & amariſſimum, filia, malum.
IE. Nos alteram tantum huius utimur vicem.

NV. Echo:

NV. Eho : tibine præter virum cognitus amor!
IE. Nollem agnitum; sed rapimur æstu ingratiis.
NV. Quis is! vel unde! crimini qui te appetit!
IE. Cuiatem eum tu dixeris iuvenem exterum?
NV. Nostrumne Iosippum! IE. loquentem te audio;
Non ipsa narro. NV. Proch Dii Deæque, quid
Ego audio! nosterne Iosip! illene
Iosippus! illud unicum delicium Heri!
Ille oculus alter! lux, fides, columen domus!
Functam me oportuit prius; quam hæc audio:
Vno hoc die plus vivo; quam vivendum erat:
Abite iam mihi deinceps, moribus
Quotquot subæratis, dolosum intrinsecus
Cælatis animum; corde sublesto, & cato;
Qui fronte venditare sanctimonias
Didicistis; intus agitis ærugo mera.
CH. Et me non mediocris impetivit
Admiratio; talibus repertum
In malis, iuvenem hunc; præire cunctos
Qui visus mihi moribus modestis:
Ignosco sedenim; acer Imperator
Est amor; senibus quoque egelatis
Cit incendia; nec viros remittit;
Quanto perniciosior iuventæ est;
Cui cor fervet, & ipsa adurit ætas.
Non amem; vel amem pudico amore.
IE. Æ yptiæ puellæ, amicum mihi genus;
Persæpe noctis circiter meridiem,
Quum tectus aer astricis silentiis,
So ore corda vincit, & sensus domat;
Ego quietis cassa, mente pervigil,
Animum meum speculatum in orbem misi; uti
Me certiorem redderet; quibus modis
Damnosa

Neque faciens male, teſte ſub multo ſiem.
Scio, facinus grande eſſe, ſibi molirier
Manum: ſcio, facinoris indigniſſimam
Cauſam; mulier adhæc, patrans tantum nefas;
Opprobrium, odiumque omnium video fore:
Sed peſſimis pereat modis; ſanctum tori
Conſortium, quæcunque princeps inſtitit
Scelerare, & ad viros fidem extulit exteros.
Nobilibus ex domibus, datum eſt foediſſimum
Huius mali exemplum; inque vulgus proditum.
Præſtantioribus enim ubi turpia placent;
Videntur illico infimis pulcherrima.
Porro, odi & illas; quæ pudicæ, grandibus
Verbis tenus, ſub corde cælant peſſimas
Audacias: iſtæ, o Domina Pontica Cypri,
Qua fronte, tandem coniugum vultus ſacros
Contra obtuentur! quomodo vel complices
Sceleris tenebras non pavent! atque angulos
Ipſos domorum! forte ne vocem duint:
Hæc namque me, o charæ, neci nunc mancipant;
Ne unquam virum meum inveniar urens nota
Infamiæ; neu filiis conflem nefas;
Quos ſtrenuos quando ſine ſcelere extuli;
Iuge hoc decus habeant; diuque floreant
Splendore mentis; glorioſi vel meam
Vicem; nec ob matrem male in vita audiant.
Licet quis animi maxima polientia
Sit præditus; ſerviliter illico tamen
Sapiat neceſſe eſt; ſi paternorum ſcius
Sit criminum: hoc ferunt, vel carius
Vita eſſe, cui iuſta, atque honeſta mens adeſt:
Quod ſi accidat quandoque vulgari improbos;
Tum tempus, ac ſi virgo, ſpeculi in æquore

Maculas notat; vulgoque proponit palam:
Quos inter utinam ne inveniar ipſamet ego.
Hoc ultimum non vos tamen cælaverim;
Omnem meam culpam eſſe; iuvenem hunc criminis
Nihil dediſſe; præter eximia quod eſt
Forma; meam quin ſedulo cupidinem
Pravam refugere; quod ne ſitis neſciæ.

CH. Euge pudor, euge; quam ubique ſplendidus viges.
Tuisque laudem comparas cultoribus.

NV. Hera, mihi prima fronte calamitas tua,
Pavore cor expectorarat: aſt modo
Quam vana fuerim ſentio; ita mortalium
Secunda cogitata plus ſenſus habent.
Nihil ſupra humanum modum; nihil ſupra
Perpeſſa naturam es: potens in te Dea
Irruit. amas: quid tum! quid hinc miraculi!
Volgarium hoc eſt plurimis mortalibus:
Ideone vita deſerenda! ideone mors
Obeunda! mitte lubricam mentem tuam:
Nimium ſapis. nimium ſapere, nimium malum eſt.
Morbis mederi clade; dura amentia eſt.
Si iam patraſſes morte condignum nefas;
Tamen ideo non iure mortem expoſceres:
Nunc vana cogitatio duntaxat in
Te ebulliit: quam ſi potenter viceris;
Neque te ferendam affectibus permiſeris;
Bis tantidem iugi potieris gaudio.
Iucundius periculum eſt evadere;
Quam neſcientem omnis manere periculi;
Cuius tibi optima iacta ſunt fundamina.
Medium medelæ prope habet; ægritudinis
Quisquis genus noſſe potuit; quod Filia
Promptum tibi eſt; cætera dies curaverit.

Laudo,

Laudo, ob oculos habere te ſobolem tuam:
Laudo, malam eſſe nolle vel eorum vicem:
Præire virtutem, parentes filiis
Par eſt. ſuos ſui enim æmulantur commode:
Quanquam neque eum ego filium probaverim;
Qui vitia, potius æmulus fuat patrum;
Quam facta cum virtute. mortales ſumus
Omnes: viciſſatim bonum in vita, & malum eſt:
Illud colere, quærere, ſequi; hoc, nec audiens
Audire, nec videns videre, filius
Debet; pius quisquis, timensque Deum eſſe vult.
Quin ſæpe, patrum errata, magnum filiis
Dedere ſtimulum, ad ſtrenue, atque fortiter
Agendum; ubi animus labis impatiens, ſupra
Iniuriam eſſe, & ora vulgi claudere;
Noxasque maiorum, ſuis virtutibus
Obducere fatagit. quod e contrario,
Frequentius fit; optimis ex patribus,
Vt peſſimi ſint filii, & noxæ meræ;
Virtute qui partam parentum gloriam,
Titulo tenus duntaxat in ſe transferunt;
Iſi, nihil minus cluunt, quam nobiles.
Quo, neque tuis te liberis impendio
Nimio eſſe ſollicitam; neque mori velle fas.
Si liberali præditi ingenio vigent;
Vel uſque te ceſſante, perſtabunt boni.
Aut, cura ſi hæc tangit nimis; quod tu obſecro,
Viroque, filiisque, tibique, enormius
Opprobrium reliqueris! quam ſi necem
Tibi, ipſa conſciſcas! boni conſilii opus
Hoc ſcilicet putabitur! vel impotem
Mentis; vel actam criminum furoribus;
Vel a marito atrociter habitam, ferent.

Erige animum; & minus malum, elige in malis.
CH. Præbere temet consulentibus bene
Dominam decet; præclara dictio tua
Quidem est; sed huius oppido salubrior,
Magisque præsentanea, ad vulnus tuum.
Sed non ferundi tempus hic sententiam
Vtra gnarius dixit; sed instandum optimis.
IE. Vtinam reapse mala pati, ita facile foret;
Ac suasione dicitur; caret auribus
Dolor; altiusque sauciatæ vulnus est
Mentis; mederi lingua quam verbis queat.
NV. Pergis muliebriter loqui Filia! neque
Te respicis! qua nata sorte: qua domo:
Qua opulentia: quibus parentibus: quibus
Donis Deum: quibus propinquis: quo viro:
Sed mitto ea; vel humanitus tecum loquar.
Tun' posse, quenquam matre mortali satum,
Reris, malorum ducere exsortes dies!
Solis beatis esse Divis contigit:
Nobis hominibus, una particula boni,
Malis duobus temperata ceditur.
Sapiens, quod ægre est, sedulo domi premit;
Quod commodo est, in publicum profert palam;
Hæc alea, aliter cadere nequaquam potest.
Fortuna quanto tua putanda facilior,
Cui plura bona, collata sunt divinitus,
Quam mala; animum tantum pares; qui uti sciat.
Plerumque satias, insolentiam parit;
Porro, insolentiæ exitus semper ferox;
Illud vide, filia, tibi ne quoque fuat:
Vt conferendis in bonis, faciles Dii
Sunt; ita graves plectenda in insolentia.
Obfirma, & obdura: nimia lascivia est;

A quo

A quo bona habeas, nolle mala pati indidem;
Divumque sortem corde concupiscere.
Amans, amorem frange cum prudentia:
Morbo ista; morbum vince cum patientia.
Vel verba quoque sunt dia; sunt magicæ notæ;
Sunt fortia indigitationum carmina;
Quibus, vel ipsam flammeam vim sopias:
Serum est, quod homo vir callidi quid adstruat;
Nos fœminæ nisi cœpimus negotium.
IE. Parce obsecro laudare fortunam meam;
Ex qua, nihil, præter onus, & certissimam
Pestem, redundat ad me: habere plurima:
Coli ab omnibus: abundare luxu, & otio:
Nihil manu propria, vel attingere quidem:
Nil feriæ curæ instituere: nil dare
Vllo labori; ævum sed omne impendere
Conviviis, ornatibus, spectaculis;
(Vt morem habemus fœminæ magnatium)
Quæ tam severa mens sit! inter lubricas
Has vanitates; quæ mali aliquid non trahat!
Nolim ex meo ingenio æstimare cæteras;
Tamen profabor: quæ maritis nuptum eunt;
Magis se ab illis duriter, quam blanditer
Tractari ament; damnosiores reddimur
Enim licentia: & nisi animus indies,
Gnavum aliquid habeat, quod volutet; non mora est,
Quin tanquam in agro pingvis arvi, frugibus
Non consitis, herbæ malignæ inhorreant.
CH. Hera, nullum adhuc dictum audii ex te, perperum:
Hoc libere effarim tamen; nullam esse, tam
Orationem conditam optimis modis;
Quæ sola per se, quod salubre est, conferat;
Sine facientis ope: ergo quod faris, face.

IE. Pulchre

IE. Pulchre mones: hoc ſcilicet cultiſſimas
Evertit urbes: hoc domus peſſum cedit;
Impenſa dicti cura, facti incuria.
NV. Tamen dolorem dicta ſueta demere:
Neque mihi nunc quiſquam labor præſentior;
Sermone ſeu res, ſeu queat facto effici;
Quam te levare, priſtinamque reddere
Mentem tibi; modo ipſa temet prabeas:
Sive hunc amorem ponere, quod optem magis,
Sive indipiſci deligas; utrumque do:
Servare ted ego ſoſpitem, & ſuperſtitem
Magni æſtimo; neque hoc mihi invidioſum eſt.
IE. Hau, quid locuta mater es! cave obſecro
Mi tale verbum dixis, ignem quod habeat.
NV. Non hercle vero dico; neque factum velim:
Sed potius auſim cuncta; quam te perduim.
IE. Ne quæſo mihi fac mentionem turpium.
NV. Hoc turpe, honeſto longe fructuoſiuſt:
Res ipſa melior, quæ potis ſalvam dare,
Quam fama; cuius appetens, male oppetas.
IE. Ne per Deos, (bene enim mones, ſed turpia)
Ne mihi itera hæc; ſat obſtinatum animum gero
Adverſum amorem; ne, dum honeſte, turpia
Circumloqueris, eo incites, unde fugio.
NV. Siquidem ita polles mente, certumque eſt pati;
Evince, perfer, laudo criminis fugam:
Sin minus; obedi mihi; ſecunda erit hæc ſalus.
Sunt philtra delenifica quoque amoris mihi;
Quorum modo in mentem quam opportune venit;
Ea, cis pudoris, cis animæ periculum,
Morbum levaſſint; tu ipſa modo non obſuas.
IE. Quæ philtra amabo? ungine, vel debent bibi?
NV. Quid quæris hæc! uti velis, non diſcere.

IE. Subtre-

IE. Subtrepido, ne iſtud callidum nimis fuat.
NV. Nimis pavens, pereas nimis; quid te abiicis!
IE. Tacitum tamen ſit hoc; nec in vulgus eat.
NV. Mecum labor erit iſte: vosque o unicæ
Amicæ, idem adiuvate; quandoquidem bona
Fortuna quædam, huic tempori vos hic dedit.
Amicus in periculo inſtar omnium eſt:
Amoris, in periculo, periculum eſt:
Ego interim abeo; ut quæ ſcio factu optima,
Properem domo: vos hic mihi ſervate eam,
Donec redeo: ſolam eſſe non permittite;
Nam ſolitudine nihil huic nocentiuſt.

STROPH. I.

CH. Amor, doloſe amor; ingerens
Ardorem oculis; & inde, ad imum
Cor, flexanimi penetrans cura;
Ne mi advenias ſiniſter unquam:
Neu turbator adſis.
Non malignior eſt
Vis ignium: non ullius
Aſtri, tuo præ veneno:
Nocente quod manu
Sævus iaculaſti.

ANTISTROP. I.

Fera inter arma, periculum
Suſtinere, tutius potis ſim;
Quando rapidam ungulam equorum, Mars
Strigat; tunicam ſuperne ahenam
Indutus; rhedaque ex
Ære conſpicua,

Huc

Huc vulnera, atque huc feminans;
Quam ftare contra fagittam
Amoris; illitam
Dulcedine amara.

STROPH. II.

Ætatem teneram,
Hæc nefaria ferpens,
Meam olim momordit;
Quibus malis tum
Proftrata non iacui mifera!
Horreo hodie quoque illam
Cladem: penitusque exfe-
-cro; animus, pudor, os, frons,
Virtus, fama, honor, pietas, Deus, cor,
Exulaverat a me.

ANTISTRO. II.

Anni, anni indomiti,
Flos iuventæ animofæ;
Nihilne aggredi unquam
Salubre fcitis!
Semperne, quod breviter volupe eft;
Perpetuo in omne fæclum
Mercabimini luctu!
Amor, exiguam poft
Guttam mellis, improba apes, relicto
Avolat tumido ictu.

IE. Silefcite obfecro, filefcite: namque iis
Dictis, recrudefcit cicatrix vulneris.
CH. Nos hæc medendo vulneri putavimus.
IE. Fruftra putaftis; namque vulneror magis.

CH. Sanari

CH. Sanari ego, contrariis contraria
Putavi: amorem; amoris odio, & nausea.
IE. Amoris ingenium, parum perspectum habes:
Amori, amoris mentio ipsa, noxia est:
Bona, vel mala sit illa; tamen extemplo nocet:
Salus amoris; sola fuga, & oblivio.
Quin, quicquid adversi uspiam in vita accidit;
Id tempore, atque oblivione existimo
Solere sanari: illa demendis malis
Constructa dicta; consilia, solatia,
Orationes, suasiones splendidæ;
Nugæ meræ sunt: quin dolorem confricant
Potius, & usque exasperant, quam leniunt.
Porro, methodum tempus hanc medendi habet:
Præsentia mala, instantibus; vetera, novis
Excludit: interdum gravia, minoribus;
Gravioribus, minora sæpe pensitans:
Magno velut mari; minorem, grandior
Fluctus quatit; nec pausa tranquillo datur:
Qui stare contra, cautis in morem, quiit;
Dorsoque, fluctus oblatrantes, dispulit;
Hunc strenuum, hunc fortem puta. pars plurima
Hominum: ubi quid præter voluntatem accidit;
Quasi pueri parvi, caducum sicubi
Offendimus pedem, lapidem ubi offendimus,
Pugno insequimur; a quo illico fugiendum erat:
Mala namque quo magis teruntur, magis olent.
CH. Prudentiam tantam tuam, Domina, utinam
Meis quoque usurpare in adversis sciam:
Bene habet vetus dictum; ad bonum, vix transitum
Dari, nisi ex malo; albaque colorem ex nigris
Assumere; atque adeo cadere summot viros
Plerumque prodest; ut facem minoribus

Præluceant surgendi: eandem quum cadant
Lapsi ruinam; ut vel tuo exemplo, mihi
Promptum sit, esse cautiorem in posterum.

IE. Heu, heu, in hanc fortunam ego servata sum!
Fierent ut in me, exempla pessimæ notæ.

CH. Non pessimum hoc; gradus unde datur ad optimum.

IE. Hoc optimum, libenter a me segregem.

CH. Morbone strata, sanitatem segreges!

IE. Ego sanitatem laudo; sed quæ est perpetim.

CH. Nil perpetim in vita datur mortalibus.

IE. Morbos tamen, nunquam in bonis numeraverim.

CH. Morbis carere, vel mederi, æque bonum est.

IE. Minus bonum est; origo cuius ex malo.

CH. Maioris artis est, facere bonum ex malo;
Quam nulla damna labe cassum incurrere.

IE. Hac arte gratis cuilibet concesserim.

CH. Gratis, vel ingratis, ferenda sors tamen
Cuique sua: quæ, si bona sit, amplexanda; sin'
Mala, arte corrigenda: tum, quam maxime
Id cogitandum; neminem soli sibi
Natum esse; sed, vel ipsum in alios iugiter
Spectare; vel spectari ab aliis mutuum.
Vitamque nonnisi æmulando vivier.
Ergo, magistra quando virtute gradimur;
Non minus in alios benefici, quam in nos sumus;
Exemplar ad nostrum, seipsos qui exigunt.
Sin' cæspitare quandoque in vitium obtigit;
Nulla mora; rapiendus illico gradus
Ex labe; formandusque rectam ad regulam;
Ne cæteros nostram vicem labi accidat.

IE. Esto; siquidem ita reris; exemplum ut aliis
Dem; dabitur exemplum, palamque docebitur;
Quantum malum in vita sumus, nos feminæ.

CH. Bonum

CH. Bonum doce potius; malæ ſat dicimur.
IE. Et iure ſane dicimur meritiſſimo.
CH. Hau, Domina, quæſo hæc verba compendi face.
IE. Compendi ego! quæ me ſcio nequiſſimam.
CH. Honeſtius de te æſtima; de aliis quoque
IE. Non habeo me laudare: quod res eſt loquor.
CH. Æquale vitium eſt, prædicare ſumma de
Se; & ad ima ſe dicto ſuo demittere.
IE. Ligo, ligo mihi; feminæ malæ, malæ.
CH. Malas quidem haud nego: ſed in quibus boni
Pars maior; in ſimplo malæ; in duplo bonæ.
IE. Hau, parce quæſo talibus falſiloquiis:
Nos ad duplum, in ſimplo malæ! imo in centuplo
Si conferantur commodis, incommoda.
Nos iurgioſæ, tædioſæ, male habitæ,
Malæ domitæ: incicura, inexpedita gens,
Moleſta, ſuſpicioſa, fallax, pervicax,
Fluxæ fidei, lubrici animi, oris levis:
Contentioſæ, ſumptuoſæ, prodigæ:
Sæpe impudicæ, ſæpe vendulæ tori;
Vt cætera ſileam: iſtud unicum bonum
Agnoſco noſtrum; liberorum quod ſumus
Matres; domusque poſteris producimus.
CH. Quanquam, quod ante dixti, ineſſe in omnibus
Non do; tamen vel inſit: iſtud unicum,
Quod deinde noſtrum agnoſcis; omnes noxias
Illas, lepore proprio præponderat;
In vita enim nil liberis iucundius.
IE. Hæc illecebra nempe fallax liberum;
Neceſſitatem perferendi maximi
Incommodi, impoſuit viris; nosque improbam
Mercem, parandam ſuaſit, in certum malum:
Aſt ſeminari ſi hominum oportuit genus;

Cis feminarum uſum, fuiſſet id utinam:
Præſtiterat, immortalium templis Deum,
Tantum, aut chalybis, aut æris, auri aut divitis,
Inferre; quantum quisque deprimeret puer:
Atque ita propagem liberum emptam tollere,
Domosque colere liberas, ſine feminis;
Quum peſtis huius, in domum introductio,
Vel inchoatur magno opum diſpendio.
Quin ipſe, (quod nos haud bonas liquido arguit)
Qui protulit, qui aluit pater; procul ſuis
Ex ædibus domum in alienam ſegregat
Additque dotem; ableget abs ſe ut modo malum:
Aſt qui potitus eſt ſibi immitem feram,
Lætatur uſque, quando ſtatuæ peſſimæ,
Pulcherrimum ornatum apparat; peplaque; genus
Omne coemit; lapidans peculium domus.
Nec iam facultas ſegregandi; affinium
Clarorum enim ergo, fert vel ingratum torum:
Aut ſi propinqui futiles; uxor proba;
Tum penſat infortunium bono opprimens:
Carere utroque aptiſſimum. aut ducenda ſi
Erit uxor; inſulſa & ſtolida, ducenda erit:
Solertem ego odi feminam: neque approbo,
Quæ ſapiat, ultra muliebrem ſapientiam.
Vafriciem enim facilius ingenerat Venus
Sapientibus: ſtolidis, ſtoliditas ipſa, pro
Sapientia, & cuſtodia eſt; cuius rei
Illuſtre ſim exemplum ego; dari exempla ſiquidem
Tanti intereſt; faxo, meo magno malo:
Frugi futuram quamque vel milleſimam.

CH. Paveſco, quo evadas Domina, quove accidas:
Cui diſplicent enim omnia; nihil is boni
Incogitare poteſt; neque ſibi, neque aliis.

IE. Tu ſi hoc loci eſſes, ubi ego ſum; aliter diceres.

CH. Illa

CH. Illa tua dicta priora potius dicerem:
Nam longe, iis potiora, quæ dixti modo.
IE. Erras; severa, & sancta dicta, si putas
Vitæ severæ, itidem esse pignus, & notam;
Plerumque castissima loquuti; vivimus
Turpissima; & fucum facimus hominum auribus.
CH. Non laudo fucum; sed vel improbissimis,
Concedo sermonem probum; ne duplicem
Ad facta, dictorum aggerent vecordiam:
Tum sæpe, ut ægris, sanitatis mentio,
Ad sanitatem consequendam, ansam dedit;
Ita dicta cum virtute, vitiosissiims,
Virtutis ineundæ dedere exordium.
IE. Vitiis ego antistare iudico omnibus
Hypocrisim, & simulationem; quo mihi
Sincera verba; vita si insincera sit!
Potius probo; malum, ut malus vivit; malum
Videri, & execrari ab omnibus; ita enim
Mali, malos faciunt bonos; dum ipsis palam
Male est; quam in occulto altere mentem subdolam
Nec mihi aliter sit: posteaquam me Deus
Quidam malevolus, vel meum implacabile
Fatum, vel obstinata vis Fortunæ, eo
Adegit; ut videns, sciens, ineam scelus:
Ita videar, ita differar, vulgo palam;
Qualis palam vivo: nec est, cur obtegam, aut
Fugiam malum; ex quo aliis futura cautio est.
CH. Domina, potestas non potest tantum mea,
Vt arceam, vel comprimam facinus tuum;
Hoc te tamen per dexteram tuam rogo;
Præsente me, ne quippiam ferocius
In te audeas; unde imputari mihi quoque
Possit, tui periculi, periculum.

Sed

Sed fuſtine tantiſper; uſque tibi tua
Nutrix redeat; hanc teſtem habe, quicquid te erit.
IE. Quo tandem abivit illa? quo me deſerit!
Ach mater, ach, ceſſare nunc non expedit.
CH. Quæſitum abivit philtra; tam oblita ſubito es!
IE. Nugas meras: quæ philtra! decumanis ego
Hic interim iactor, flagellor fluctibus.
CH. At iam redibit: perbrevem tolera moram.
IE. Amor moram non tolerat: ach me, ach occidi.
CH. At iam redibit; audio ſonitum pedum.
IE. Maiorem ego ſonitum, miſera, animi audio.
NV. Quid eſt! quid hic factum eſt! quid incenſa Domi-
Quid hic inornatus ſibi poſcit ſtatus! (na es!
IE. O mater, o mea mater, ut me deſeris!
NV. Ego deſero! quæ iſthic cucurri prope volans.
IE. Nihil mihi tua curſio, & recurſio.
NV. Philtra attuli; quibus tibi fiat bene.
IE. Neque philtra, neque dicta, neque iam ullam denique
Curationem curo: quod ſemel animo
Statui, & recepi; id omnibus rationibus
Audere certum eſt: vosque maiorem in modum
Quæſo, & rogo; vel adiuvæ ſitis mihi;
Vel ne repugnetis meæ ſententiæ;
Decretum enim eſt, audire neminem: neque
Illa mihi dicta, quæ prius diſſeruimus,
Revocate; nam illa dicta ſunt labris tenus;
Animus fuit alibi: ſcio me feminam,
Scio Dominam eſſe; quod volo vobis quoque
Deliberatum ſit; meaque verba placide
Admittite. Ego cum primum in hunc iuvenem oculos
Conieci, & hauſi amoris ignem; rem rata
Sum facilem, & in manu mea ſitam aggredi;
Qua, ubi libitum animo foret, poſſem frui;
Ipſumque

Ipſumque iuvenem, ſicubi id reſciſceret,
In parte non parva beatitudinis
Ducturum; amari ab Hera, & rogari: tempore
Itaque aucupato; adorta ſolum; detuli
Cupidinis meæ voluntatem; palam
Quæ faſſa poſtulavi: At ille, ferreus,
An fatuus incertum, an ratus fidem ſuam
A me experiri, vel peti in periculum;
Repulit volentem: quin ſeverioribus
Hortatus ad modeſtiam eſt ſermonibus.
Qua me fuiſſe mente tum putabitis!
Aut quid animo volutaſſe; non tamen adeo
Fui maligna, quin ſecundo, & tertio,
Sceleſtum adirem; paſſa identidem grave
Repudium: egone me ita miſere fruſtrarier!
Egone me deludier gratis ſinam!
Meon' periculo, ille ſanctimonias
Impune venundet ſuas! iocumque me
Sibi habeat impuriſſimus! quaſi innocens,
Quaſique mulieris inſciens ſit; qui alicubi
Diobolarias apud lupas, ſuam
Obſcœnitatem proſtituit: ach me: illene
Mihi hoc negarit! ubi melius, & tutius
Potuit locare: ſervulon' ego improbo
Preces meas obtruſerim! cuius preces,
Nec vir, nec hominum quiſpiam unquam inaudiit.
Verum eſto: petii; ſed Domina; ſed petii Hera;
Neque potui forſan adeo demittere
Animum; atque ſervilis animus depoſceret.
Rarum eſt; amore a femina virum appeti;
Neque proſtitutas inter, hoc inveneris;
Quanto profectum a Domina, inertem in ſervolum
Inſuetum, inauditumque habebitur magis!

Voluiſſet

Voluisset ille forsan, & concederet:
Sed forte ego imperiose id ambivi; & animum
Rerum incapacem maximarum abſterrui:
Submissio, atque blanditia, coagulum eſt
Amoris; æqualesque gaudent aptius.
Itaque, priusquam quicquam acerbius in eum
Consulo; aliam viam movere, omneque genus
Demiſſionis, & precum, ſtatui ingredi
Atque huius ergo, occaſionem publicæ
Solennitatis aucupavi; ſola cum
Solo, ut domi relicta, commodius meum
Propoſitum inirem: eaque cauſa, falſam eam
Finxi ægritudinem; niſi, quod amor omnium
Morborum, & ægritudinum longe inſtar eſt:
Totamque familiam, abdicavi ex ædibus;
Vt & ille tutius mihi fidere; & ego
Animo meo, tranquillius poſſem obſequi.
Nunc in tua opera præcipua ſpes: nunc tuam
Fidem patere: nunc benevolentis animi
Specimen dari: nunc ſtudia, nunc officia, nunc
Conſilia vetera promi oportet. ſi mea
Non temere dicta mater olim es; ſi tuo
Nutrita lacte, ſi tuis a parvola
Vere manibus educta, in hanc crevi indolem;
Si denique eſſe, & vivere, & ſalvam domum hanc
Incolere me vis; neque ſuaſionibus
Jam ullis mihi obſtrepe; neque ab incœpto avoca
Fixum, receptum, conſtitutum eſt; iam nihil
Admittere adverſarium placito meo.
Quod iſta per genua tua: per dexteram:
Per hos mihi chariſſimos canos tuos:
Per, quicquid ex me dulce fuit unquam tibi;
Oro,

Oro, obſecro, obteſtor; iuva quantum potes. (ripis
Miſereſce denique. NV. Quo is! quo abis! quo te ab-
Domina! heu ſenectam, heu peſſimam ætatem meam:
In hocne ego ſervata vixi opprobrium!
Quid faciam amice! audebit illa perperum
Aliquid, niſi obſiſto; nec obſiſtere ſatis
Queo. In iuventa qui malum putant mori;
Male computant: quo plura vivas ſæcla enim;
Plura videas, plura facias, mala. optimum
Aut non oriri; aut illico exortum mori.

STROPH. I.

CH. Superum quis nunc potens!
Humanam eripiat mihi
Formam; generique avium,
Compoſitis ad brachia pennis
Adſcribat; ut vel columba,
Vel hirundo querula ſim.
Illicet, pernicibus excita alis,
Hominum fugiam cœtum;
Seceſſusque remotos
Silvarum; incola præpes,
Cum lupis, aut cum leænis
Concelebrem. Quid enim

ANTISTRO. I.

Hominum conſortio,
Structum eſt pernitioſius!
Natus licet indole ſis
Magnanima; ſanctique tenace
Cœpti; nec uſquam caducum
Animum ſponte violes;

 Plurima

Plurima invito tamen, hinc & inde
Scelerum genera illudunt;
Turba emiſſa forenſi.
Quin, ſperes minus unde;
Aſſilit damnum inde; & ignis,
Suppoſitus cineri

EPO. I.

Fraudulento, improvidos ſuc-
-Cendit: hoc, ſupina corda,
Non doceas facile,
Qui poſſe vivi non putant;
Niſi ad ſuperbi, purpureum latus
Herois; aulæ in miſero ſtrepitu;
Menſæ mancipia, & cibi:
Quos inter, ut paludum
Circa fluenta putrida,
Acre genus veſparum; examina

STROP. II.

Scelerum, nimbos rotant;
Morſuque obvia corpora
Quæque involitant ſtrepero.
Nam Iuvenem fata hunc voluiſſent
Seorſim, caſa in paupere, igno-
-Bile ſæclum trahere; vis
Tanta noxæ, nunquam in eum ingruiſſet.
Vtinam effugiat magnam
Lubem: poſſibile at non
Eſt; peſtis, Domini, quum
Dant feneſtram; quin per illam
Tranſiliant famuli.

ANTISTRO

Antistro. II.

Potuit qui abſiſtere
Lapſu; non hominem hunc ego
Dicam; ſed ſuperum ex genere:
Legibus his, nam conciliata
Quum vita ſit; degere alter,
Opera absque alterius, ut
Non queat: ſed, pars Domini, atque dites
Geniti; tenui cenſu
Servi, pars habeamur:
Plebs a dite fovetur;
Dives a vulgo tuetur;
Fitque ita ſubſidii.

Epo II.

Mutuum vinclum; gregatim
Vivere omnibus coactis.
Magnum operæ precium
Pervincit is; qui Syrtibus
In hiſce, fido remige conſili
Tranare, triſtes ſcelerum ſcopulos,
Pertendit; liquidumque iter
Virtutis, integra inſtat
Rates enatandum caute enim eſt;
Saxa, ubi lymphæ cælant, perfida.
NV. Menſas Deorum, quæ feruntur ſplendidæ,
Non mutem ego hodie; præ hoc, quod aſpexi modo:
O omnium, unquam, quæ quidem oculis viderim,
Spectaculum, ſanctiſſimum, & graviſſimum.
Non me ſenectæ, ætatis, ut ut eſt improbæ,
Ac permoleſtæ pœnitet: neque tandiu
Traxiſſe vitam tædet; unum ob hunc diem:

Vel moriar; haud mœrens domos visam inferum.
Tantum, tam inauditum pudorem, tam ratam
Mentem, tam invictam fidem, vidisse me!
Virtus, honorum o Domina virtus omnium;
Quanta est potestas, quanta maiestas tua!
Tu cui ades; per ignium, per ensium
Aciem obviam, securus iter invenerit.

CH. Obsecro, quid factum est. animi enim pendeo.

NV. Facinus, puellæ Ægyptiæ, facinus supra
Hominum fidem vidi, supraque memoriam.

CH. Num periit ille Juvenis! aut Dominæ male est!

NV. Salva Domina est, & Juvenis ipsus salvus est.

CH. Respiro; utrique enim nimis timui male.

NV. Tantamne virtutem cadere mortalium
In quempiam! iuventa, pervicax mea
Iuventa; quam te pessimam transegi ego.

CH. Obsecro fare; quicquid hoc factum intus est.

NV. Fabor; sed impudentiamne in Hera, magis
Demirer! anne in Juvene sanctimoniam!
Stupesco tota: nec scio, unde exordium
Sermonis insequar. Nam ubi primum attigit
Thalamum, ubi sese collocavit in toro;
Verbis venustis, blanditer me primitus
Appellat; atque postulat; parcerem animo
Ægro illius; lacrymasque fundit quam ampliter:
Peccare se invitam; neque satis scire, quid
Se fiat: hocque velle maxime; ut malo
Absistat; idque serio gaudere; quod
Tam pertinacem ingressa amoris ludum: ita
Ludimagistrum nacta plane ferreum;
Obnoxiamque illi esse; verum linquere
Subito furorem non valere; omnemque spem
Salutis, eius ponere in prudentia:

Persuadet

Persuadet insuper, intro ut ipsum accerserem.
Quem ego pavorem, quem pudorem, dum voco,
Illius observavi in ore! quam ad meam
Vocem profatam palluit, perque horruit!
Venit tamen, subnubilo qualis die
Nimbo impeditus, purpurascens Lucifer.
Ut adstitit, ut accersionis mitiger
Perquæsiit causam; illa, qualis prima nix,
Vibrante solis igne tacta, languida
Illius aspectu liquuit, inque gemuit;
Penitis gravem urgens spiritum ex præcordiis:
Effata tandem. Ago, habeoque tibi gratiam
Josippe; languenti mihi quod adsies:
Utinam referre essem potens, tuque sineres:
Obsequium amicos experitur: sed quoad
Vita mihi; cogita tibi me obnoxiam:
Nunc, quid te opus facto velim, sic accipe:
Verum huc adesdum propius; ut in aurem loquar.
Hic ille, ceu petita ad aram victima,
Cunctatus, immoratus; accessit tamen.
Ast illa velut accipiter, ales lethifer,
Alto columbam consequutus æthere,
Dextra prehendit; sicque dicto efferuuit:
Jam te teneo, proterve, iam te hostem meum,
Potita capio; vel ambio potius capi;
Velis modo ipse: quid tibi, me supplicem
Toties refugis! ægram quid usque animam enecas!
Crudelis: ulla si tibi observantiæ
Mihi debitæ, scintilla foret: ipsissima
Superbia totus nisi intumesceres;
Primis precibus, olim haud repugnasses meis:
Idque vel Herili dignitati cederes;
Vel amoris efflictæ dares vehementiæ:

Qua

Qua urgente; Heram me oblita, ad hæc viliſſima
Abiecta verba, devoluta ſum tibi.
Ergo ſapi: illatamque contumeliam,
Præſente ſtudio redime: ſive enim mihi
Diffiſus; aut iterum rogari impenſius
Volens, cupitum diſtuliſti tandiu;
Jam facio id ipſum, quam antea accuratius:
Conſtansque, eodem ſto voluntatis gradu;
Vt nulla ſubſit ſuſpicio animi mei;
Eamque nuperam ægritudinem, tibi
Finxi, tibi decubui: ut ut meritus, tua
Vtere, vel uti ſine: neque dubita ſciens:
Malisque amicam, & benevolam lucrarier;
Quam odiis perennibus, niſi illico caves,
Sequacem, & ultricem: neque enim eam animi mei,
Oblationem, impune committam fore.
Vel ipſe vir, Dominus meus, cui pervice
Tu, empticius es, faxo, meam hanc iniuriam,
Tuo capite vindicet; Heramque me tibi
Oſtendat: hoc dicto, interim effuſiſſime
Collacrumavit: & quaſi toro adflectier
Juvenem fategit. At ille, ceu ſævo mari
Saxum, ſonoris oblatratum fluctibus,
Rigidus reflexit; vultu, & habitu, maſculam
Quandam, undecunque præditus minaciam;
Oculumque pernicem, modo ad me, modo ad eam,
Identidem circumtulit: tum pauca, pro
Re fatus; officii, fideique monuit;
Magnamque legem, iusque iurandum tori,
Teſtatus, hortatusque ſane ſanctiter,
Petiit; pudorem, integritatemque legeret
Præferre, momentaneæ libidini;
Huic namque præſto adeſſe pœnitentiam;

Dolore

Dolore quæ factum quidem percelleret;
Infecta vero facta nunquam redderet:
Adesse quoque pavorem, & æternum metum,
Qui, dedecus suum, latere, maximi
Putet; idque sollicitudine perenni aucupet.
Ast coniugalis dona consuetudinis,
Gaudere secura voluptate, & mera;
Fiduciamque conscientiæ, tam apud
Deum, quam apud homines habere: se satis
Meminisse, mancipium esse; Heri peculio
Emptum; itaque malle, iure Herili subditum
Haberi ab ipsa; quam facinoris ullius
Socium: paratum potius extrema omnia
Subire; quam se scelere tanto adstringere:
Desineret optare, quod apisci sit nefas:
Autorque potius esset, ad sobrium aliquid
Servo imperandum; hanc fœditatem, vel nece
Et morte semper se redempturum. Hæc, & his
Similia proloquutus, arcebat manum.
At illa, ceu furens lea, in levem hinnulum,
Elata saltu, dentibusque exercita,
Vesaniebat; sangvineam aciem rotans;
Totisque cervicem insiluit amplexibus;
Meus, velis nolis, meus es, usque infremens:
Vimque afferebat plane inornatissime.
At ille, ceu serpentium feralibus
Spiris ligatus; impetu omni, evolvier
Ardebat; acriter, simulque miseriter
Luctatus; & collum eripere nodo appetens:
Beneficio donec fluentis pallii
Elapsus; ipse eliminavit se ex fore;
Vestem, tenentis liquit in complexibus:
Ego subsequuta; ad vos cucurri huc illico:

Sed

Sed timeo male, ne in ſe ferum aliquid audeat.
CH. Mane, mane; eccum prodeuntem ipſam intuor:
Quam torva, quam ſevera, quam facie ferox
Incedit! orba ceu ſobole Tigris furens:
Geſtatque præ ſe pallium extentum manu.
IE. Ie, ie; quis unquam, tot malis, miſerum meum
Nomen, putaſſet concinum colludere!
Ie, ie: ter & quater, libet nunc proloqui;
Nam tantus obſtat me malorum exercitus.
Quæ matre nata, auctoritate apud virum
Summa, potentia in familiam maxima;
Atque ipſa nupta non minorem in habentiam;
Virumque nacta, principem ex primoribus;
Heu, ſpreta, deſpicata, ſervo peſſimo,
Ludibrium, iocusque, in hunc vivo modum:
Vaniſſimam, ac nequiſſimam me dixero,
Hæreo animi; quæ ſupplicare ultronee,
Quæ ſubiicere ſe ſe ſceleſtiſſimo homini
Suſtinui, & obtuli; quod oblatum omnibus
Miraculo ſit; quodque nemo non velit,
Quam nunc triumphat! quam cachinat! quam crepat!
Faber malorum, columen impudentiæ,
Corruptor, explorator, exeſor meus;
Maleficus ingratiſſimus! nam quid aliud
Hoc eſſe dicam! quam merum maleficium,
Operamque Dæmonum; quibus iam veniit
Totus ſuperſtitioſus, & Dæmonicus,
Cultor aliorum abſconditorum numinum.
Neque facies, neque ſpecies enim illius
Tanti eſt; meo Domino anteferri ut digna ſit!
Neque indoles conſtructa amori: quicquid eſt,
Veneficum ludibrium eſt; quo me excitam,
Ideo impetivit; ut vel illuſam palam

Vulgo

Vulgo propinaret; ſuamque perfidam
Dedecore quæſitam meo, conſtantiam
Iactaret: aut Orci coactam ad incitas,
Vita, domoque exueret; ipſe, quod facit,
Regnaret, & rebus potiretur meis.
Non ſic abibit, non. quid ergo! an par pari
Referam! arteque hanc artem exeam, atque vindicem!
Veneficosque adeam; ut quibus me nunc modis
Ille furiatam habet; habeatur invicem
A me: ardeatque inviſus, & ſpretus mihi!
Sed facerem honorem illi, mihi faſtidium;
Amari enim, vel amare, eandem eunt viam.
Non ſic abibit, non: capite iniquo ipſius,
Profitebor illi, me eſſe Heram; vitæ, & necis
Juxta potentem; amico, amicam; hoſtem, hoſti: ita
Fiat; aude anime, facinus viri non plebei
Vxore dignum: veſtis, heu ſacerrumi,
Atque omnium mihi virum inviſiſſumi
Veſtis, hominis: ten' ego tenere! ten' ſinu
Meo fovere! ten' manu contingere
Suſtineo! verum ſuſtinebo, donicum
Vlciſar: ach me; ach me; ardeo iracundia:
Incipe anime; & memento me eſſe feminam.

NV. Nec adiuvandi, nec refrænandi tui
Vllum invenio modum, Domina: tantis malis
Vexaris; ut ſtupere vix ſatis ſiet.

IE. Comperce dictis obſecro mater mea;
Ne me pariter in te eſſe cogas impiam:
Nempe tibi plus cordi eſt ſacrilegus ille; quam
Vel fama, vel ſalus, vel afflictio mea:
Vt pæne condictum eſſe vobis ſuſpicer.

NV. Hau filia, hoc meruere tot ſtudia mea!
Quæ huc uſque ſenſti liquido, ab ipſa infantia.

H IE. Multa

IE. Multa beneficia; unum maleficium opprimit:
Ne ergo mihi anſam ingratitudinis duis.
NV. Non do: neque prius quicquam habeo rebus tuis:
Quantumque potero, ſedulo iuvavero.
Hoc te tamen obedire poſtulo mihi;
Cedamus intro; feminas non eſt decens
Foris manere: tum cavendum; ne inſcias
Offendat adveniens Herus; meque increpet.
IE. Adveniat utinam: offendat utinam: nil magis
Aveo; quam in hoc miſero, me ut aſpiciat ſtatu.
CH. Non feceris Domina; ſed auſculta tuis
Potius amicis; qui tibi cenſent bene.
Age, potius propera ingredi talami forem;
Nam vox, quaſi adventantum in aurem mi advolat.
IE. Nihil agitis puellæ; amaſtis forſitan
Nunquam, meumque malum parum perpenditis.
CH. Obſecro, Domina, obſecro; Herus iam ad limen eſt.
IE. Ach me, ach, inertem: o lacrymæ, o fletus, meum
Olim inquilini ſempiterni luminum:
O anime, iam ſatis malis exercite:
Nunc cernitur certamen: arma nunc ſonant:
Accingere, inſta, ſtrenuum oſtende hoſtibus:
Heu perditam, afflictam, omnium miſerrimam
Me feminarum, quotquot in terris agunt.
Ach me, ach me.

FAETIFER.

Quid eſt! quid hic turbæ eſt! quid ægrimoniæ!
Quid ante limen ſtatiò! quid turbatio! (quid eſt!
Vxor, ſatin' ſalvæ: IE. o Domine. FÆ. Quid habes!
IE. O Domine. FÆ. fare quicquid eſt! IE. Perii, occidi.
FÆ. Num cauſa morbi invaluit inſolita adeo!
IE. Soli-

IE. Solitum nihil perpetimur: insveta omnia.
FÆ. Meliora Dii: IE. Pereo, Domine, pereo, nisi
Iuvas: FÆ. Juvem libens; modum doceas modo.
IE. Nunc, quid me ames; nunc, coniugem si me tuam
Vere putas, da publicum indicium hostibus
Meis. FÆ. Quid est! quis te appetiit iniuria!
IE. Per dexteram, Domine, tuam; per mutuum
Sumptam, & datam fidem; per omnia fœdera
Consortii nostri. FÆ. Quid est! fare ocyus.
IE. Vlciscere inimicos: tua sum, ut ut sum: meus
Pudor, tuus pudor. FÆ. Quis impudicam habet!
IE. Non habitio hæc tibi; mera at violatio.
FÆ. Violatio! quid agis! quid! hem violatio!
IE. Voluit adulter; sed fides mea noluit.
FÆ. Quis is! quis ausus! clarius fare, loquere.
IE. Quem neque benevolentia tua; neque fides mea;
Neque fas, nefas, quicquam movent; qui pessimus
Viget omnium; nescitur interim ab omnibus.
FÆ. Vxor Deos obtestor, ede quisquis est.
IE. Quem tu nisi omnibus modis ulcisceris;
Hucusque tecum mansio fiet mea.
FÆ. Frendeo animi; comperte quæso ambagibus.
IE. Bonitatis, indulgentiæque tuæ, cape
Fructum: hoc tibi sit prætulisse cæteris
Vnum; hoc tuum servis amorem ostendere:
Quod ego pudoris clade tandem sentiam.
FÆ. Non minus id interest mea, quam unquam tua:
Effare per Deos; ferox nunquam tu ita
Futura es accusando, quam ulciscendo ego.
IE. Hæc vestis expediat; quam adulter territus
Clamore nostro, liquit elabens fuga.
FÆ. O Dii, Deæque; quod facinus ego video!
Hæc vestis est quidem Josephi; quem unicum

 Ego,

Ego, fide, & virtute, præſtare omnibus
Exiſtimavi: vix adhuc inducere
Animum queo; ut credam. obſecro, coniux mea,
Jocon' loqueris, an ſerio! IE. Nunc tu tuum
Morem, ſcio, tenebis; ut cuivis fidem
Potius adhibeas, quam mihi: heu me peſſimam:
Heu me ſceleſtam; quæ auſa non ſum; quæ tibi
Tantum fidelis eſſe ſatago; te interim
Meum pudorem poſtputante, & obvium
Sinente, cuivis ſervolo abiectiſſimo.
FÆ. Quid itaque me vis facere! num umbras inſequi!
Aiens, nec aiens: indicans, nec indicans:
Eloquere quisquis eſt; enim præ iſto tuo
Pudore; tantum abeſt, Joſephum ut poſtputem;
Vt ipſe quoque Rex me habeat hoſtem; tale ſi
Quicquam auſit in te: ergo expedi, quo evaſit? aut
Quo erupit? aut ubi ſit? IE. Quid ego miſera id
Felicitatis parte quæ habeam in maxima; (ſciam!
Quod fugerit; quod territus me liquerit;
Quem neque valetudo, neque ægritudo, nec
Langvor meus permovit. FÆ. Ite omnes mei;
Ite illicet, per quicquid urbis, quicquid eſt
Regionis, exquirite; penetrate, omnibus
Triviis, quadriviis, circulate; ubi ubi ille ſit,
Arripite ſublimem pedibus; adducite;
Quandoquidem ita ipſo facinore meritus ſuo eſt.
O miſera fortuna: o miſera magnatium
Felicitas: quis te expetendam cenſeat!
Quisve invidendam! niſi fatuus, & inſciens;
Colore quæ externo, beatitudinem
Mentiris; intus ſorde putreſcis mera:
Hæc namque pectora, quæ videntur ſplendidum
Quiddam nitere; auro, atque purpura ſuper
Intecta;

Intecta; forte si reclusa quispiam
Aperiat, aut oculis penetret Lynceis;
Cruciatuum, laniatuum, tumultuum
Inveniat officinam; & incudem affatim
Plagis dolatam: quippe pluribus domi
Vt imperemus; serviendum ultro est foris;
Dominique maiores ferendi ingratiis.
Porro, ipsa ea imperatio, non fit sine
Summo labore, molestiaque. sive enim
Humanitate utare, & indulgentia;
Licentiæ viam instruas: sive potius
Severitate; odio, atque contumaciæ.
Omnino hominibus præesse difficillimum est.
Neque pecudum ulla gens, ita intractabilis
Habetur; atque homo. quæ enim unquam armenta,
Boum, vel aliarum id genus gregum, suis (vel
Pastoribus, inimica visa, auditave
Sunt! ut vel insidias inisse; vel necem
Patrasse; vel novasse dirum quippiam
Sategerint! imo, & quo eas direxerit
Opilio, eunt: & quæ vireta pascere
Ostenderit, pascuntur; & quibus locis
Arcuerit, absistunt; fruique commodis,
Et usibus suis, placide, & ultro sinunt.
Quorum omnium, contrariam sententiam,
In homine videas; ut vel hic Juvenis meus,
Quem ego mihi charissimum delegeram;
Quem rebus omnibus meis præfeceram;
Quem apprime amaveram; quibus modis, meam
Fidem fefellit! hæreo maxime animi,
Summo ex amore, summum ad odium, qui queam
Descendere: audendum est tamen. communio
In rebus aliis esse; in uxore haud potest.

IOS.

IOS. Adſum Domine. FÆ. ubi fuit! ubi latuit! ubi tam
Subito repertus eſt! FAM. In area ædium.
FÆ. O perfide; aut, quibus imprecationibus
Tandem utar in te; quem neque fides ulla; nec
Indulta plus nimio benevolentia mea;
Nec ius, nec ullum fas; nec emptitia infima
Conditio memorem habuit; ſcelere, quantum pote (eſt,
Sacerrumo, quin vulnerares me, & meam:
Heu me, quod iraſci tibi ſat neſcio.
Quid mutus es! quid conticeſcis! quin mihi
Sceleſte reſpondes! IO. Quid ego reſpondeam!
FÆ. Reſpondeas etiam, o Joſephe, o omnium
Quondam mihi chariſſime; at nunc omnium
Fœdiſſime, inviſiſſimeque: quid pallium!
Quid veſtis hæc! cuia eſt! IO. mea Dñe. FÆ. video
Tuam eſſe: & ardeo dolore: nec ſcio
Quid te inſequar: ſed quid moror! vos illicet
Abripite eum hinc, vultu ex meo; atque in carcerem
Quantum pote eſt teterrimum, compingite;
Donec, quid illo fit, ſtatuo per otium.
O Iupiter; animantium omnium notas
Certas habemus; quibus inertes poſſumus
Dinoſcere a gnavis; probum hominem, ab improbo,
Nullus character, nulla diſcernit nota.
Verum, o Jempſar mea, nimis diu aërem
Crudum hunc bibiſti; iſthic foris te ventilans;
Cedamus intro: omitte vero animum aſperum:
Exporge mentem: faxo, contumeliæ
Tantæ tuæ, digna ultione gaudeas:
Memento te ægram; ſanitas minimo ſolet
Neglecta perdi; vix parari maximo.
IE. Concedo: ſed dilationes hæ, mihi
Parum probantur; nam de adultero, ſolens

Tranſactio

Transfactio est; ut capite patratum luat.
Nimis metuo volgarium dictum vetus:
Differtur; aufertur: Sed experiar tuam
Meo in pudore vindicando instantiam.

STROPHICA.

CH. Quum mente me ab terris fero;
Et templa cœli, lumine contuor;
Vicibusque cuncta fixis
Ire, & redire cerno:
Noctem, cedere luci;
Lucem, nocte recondi;
Caniciem, ningvidæ
Hiemis, vere resolvi;
Et sertis florentibus
Redimiri; frugibus
Mactam æstatem, deinde venire;
Tandem autumnum, pomis, uvis-
Que datis, hiemem revocare;
Eumque iugem circulum,
Meare, & remeare;
Curam Deos habere rerum,
Atque esse providentiam
Agnosco; plena tranquillæ spei.

ANTISTROPHICA.

Mox deinde, ubi humanas vices,
Ludumque fortunæ ancipitem, & gradu
Dubio, revulsa fata
Specto; palamque cerno;
Impune ire nocentes;
Virtutem male plecti;

Omni-

Omnigenis pessimos
Opibus, præsidiisque
Pollere; insultareque
Melioribus, neque
Defensorem ullum, esse bonorum;
Magnum torporem mens sentit
Mea; sub dubium prope, fixam
Divum vocans potentiam:
Sed absit; potius nos
Stultos puto, Deos quam iniquos:
Occulta multa sunt Dei
Decreta; nulla non iustissima.

JAMBI.

Verum, o puellæ, non sine scelere; nos quoque
Sumus; innocentem, nil merentem, innoxium,
Palam impudenti percitum calumnia;
Nostro, quod adiuvare testimonio,
Neglexerimus. idem est enim, perdere aliquem;
Et sinere perdi; nec vetare, dum queas

SEMICHORUS.

Siquidem queas: sin vero nequeas; quid aliud
Agas! paratum quam tibi infortunium
Sponte advoces; vana est enim ops, sine viribus.
SE. Quid! veritati, nonne abunde virium est;
Adversus impotentiam mendacii!
SE. Si veritatem, plebs homo deffendat; &
Deffendat Optimas homo mendacium;
Mendacio referre primas, est facul:
Siquidem interest multum; ore quo, quid prodeat
SE. Actum illicet de veritate sit; ista si
Ratio habeat: nam pluribus, mendacium est
Cordi,

Cordi, idque Summis; veritas paucis placet.
SE. Ita vivitur: quin ſæpe aliquis, infantia
Lingvæ impeditus; iuſta quamvis dixerit;
Superatus iniuſti viri eloquentia;
Cauſa cadit; iusque minus obtinet ſuum.
SE. Ego innocentiam, eloquentiam rata;
Tu potius eloquentiam, innocentem habes.
SE. Vtinam, innocentia nihil potentius
Foret: utinam nil veritate, inter homines
Antiquius haberetur. aſt contrarium
Sentimus; ubique fraude, falſitateque
Potiente rerum: maximum, & pulcherrimum
Quidem facinus, is inſtituat; interritus
Qui veritatem, & innocentiam aſſerat,
Vel uſque vitæ ad ultimum periculum:
Verum, qui id agat; idem valens, pollensque ſit:
Ne temere conando; neque illi, cui cupit
Prodeſſe, quicquam proſit; & fruſtra ſuam
Impediat operam; vel malum accerſat etiam.
Namque hanc vicem, me, teque feminam ultimæ
Sortis, potentem contra Heram aliquid ingredi;
Qui quæſo, poſſibile ſit, ut pervincere
Quiremus! adde, apud maritum, coniugem in
Crimen vocare; ubi ad mala, amor incredulus;
Ad bona, etiam ſibi ipſe ſponte mentiens;
Qui maximo eſſe poſſet absque periculo!
Tum vero, Juvenem ipſum nihil poſcentem opis
Noſtræ; neque advocantem in auxilium; neque
Verbum profantem; ſed mero ſilentio
Quaſi crimini conſentientem, & ſe reum
Dantem; quid aliud cogitaſſe exiſtimem!
Quam, rem ſibi eſſe, ſervo apud Herum, contra He-
Vbi, una falſa lacryma eius apud virum, (ram!

Plus centuplo inveniat fidei; quam sua
Sexcenta iuramenta: Quin spero, ipsam Heram,
Quanquam impiata scelere nunc væsaniat;
Carnifice mox urente conscientia;
Patientiam, innocentiamque eius, modis
Melioribus habituram; & ultro pristinæ
Tranquillitati redditutam: non leve
Momentum enim est patientiæ; quam, vel Deo
Ipsi, ferunt gratissimam esse: multaque
Illum, in bonos passim viros damna iacere;
Vt, quid ferendo polleant; spectet sciens:
Deinde spectatos coronat: quod de eo
Quoque iuvene, mihi quam facile persuadeo:
Omnino enim curæ Deo innocentiam
Esse scio: credoque ideo eum ex tam splendida
Fortuna; ad hunc tetrum reiectum carcerem:
Vt inde maior, atque conspicatior,
Illustrius promatur, ad maius decus.

SE. St. mitius fare; ellum enim famuli betunt;
Qui hunc, quem dolemus miserunt in carcerem.

SE. Non sustinebo, quin rogem; qua denique
Mente fuerit; quidve elocutus carcerem
Introierit. proborum enim virum, mala
Fortuna; habet, quod discere ex ea velis.
Heus o amici, iamne carceri est datus
Josephus? in quo tale compertum est scelus.

NUNTIUS.

Factum mulier, haud sine dolore maximo
Nostro: neque enim ego illum nocentem dixerim;
Qui ita placide, & animo sereno ad pœnam eat.

CH. Obsecro, quem se gessit? aut quid fatus est?

Siqui-

Siquidem innocentem eum, ipſa quoque liquido ſcio.
NVN. Magnum eſt referre mulier; aſt ſabor tamen:
Quum primum, ita ut noſti, imperata accepimus
Incarcerandi eius; ſtupor pæne illico
Me ambiguus occuparat; inſolentiam
Facti exputans, repente tanta ex gratia,
Ingratiam ad tantam reiectum ingratiis.
Itaque, neque manus iniicere, neque acerbius
Ductare, priſtinæ meæ obſervantiæ
In eum memor, potui; ipſe ſponte quin sua
Ibat, ſilens ſilentibus nobis quoque;
Neque verbum ab illo poſcere auſus quispiam;
Ad carceris donec forem perventum; ibi
Ego, condolere me eius infortunio
Præfatus; invitumque, genus hoc munii
Obire; verum Heri imperata, haud exequi
Haud poſſe; prenſavi, malo ne verteret.
At ille, perquam amanter, ad riſum quaſi
Attemperato ore, infit; ut ſe ſub manu,
Arbitrioque Heri eſſe, neque quicquam mali, ab
Illo, gravatim ferre; ita imperia illius
Nos exequentes; tantum abeſt, ut vertere
Vitio; ut probare etiam obſecundantes Hero:
Servorum enim eſſe; iuſſa Herilia exequi:
Se iſtam ſuam ærumnam Deo committere;
Qui ſemper innocentiæ aſſertor fuit;
Tempusque veritatis haud vanum indicem
Sperare; quin malle alterius, innoxium
Scelere perire; quam nocentes perdere:
Ne pereat, in ſe haud eſſe; verum in ſe eſſe, ne
Nocens pereat. hæc, atque plura talia
Locutus; ultro carceri ſeſe intulit:
Nobis genas prope lacrymæ perlabier

 Cœpe-

Cœpere: neque iam ille quoque ſine lacrymis:
Tum in genua ſeſe humi dat; & ſurſum manus
Oculosque tendens; tacitus ad Deum ſuum
Orabat: orantem, nova quadam undique
Luce radiari vidimus; & umbram horridam
Carceris; oborto lumine aboleri: pavor,
Terrorque nos ſtravit; caputque ego meum
Auſim paciſci; innoxium, inſontemque eum
In vincla conie&tum; & ideo mœreo animi,
Hæcque ocyus, Hero nuntiaturus beto.
CH. Obſecro. cuncta fare; nec quicquam occule.

SEPTENARIUS I.

Calumnia, o calumnia;
Criminatrix innocentiæ,
Inimica veritatis;
Linguæ prodiga iniquæ;
Auratis laquearibus
Plerumque ventilans facem;
Stultorumque aſininis,

SEPTEN. II.

Herorum abutens auribus;
Imperitia, atque ſuſpici-
-O; quibus cient inertes
Tecta voce ſuſurros;
Fomentum implacidum tui:
Nec impii, periuria
Teſtes, perfida deſunt.

SEPTEN.

SEPTEN. III.

Verum premit comes quoque
Pone, vindex pœnitentia;
Liquidæque veritatis,
Tempus, ſerior index:
Nec turba aſpera, pœnæ,
Ceſſant; ſequaces criminum
Terga urgente flagello.

SEPTEN. IV.

Quantis malis, Heros meos
Implicaſti, & innocentem eum
Juvenem! timore frangor,
Ne fors exitium illi
Supremum, acceleres prius;
Innoxium quam ſe omnibus
Oſtendat: mori autem ipſa

SEPTEN. V.

Vicem illius; nec deſeram
Vltimum ſi iam periculum
Veniet; palamque teſtis
Prorumpam os in Herile.
Cum iuſto melius mori eſt
Miſerrime; quam vivere
Cum iniuſto volupe æuum.

Jeſu Chriſto laus & gratia.



CRACOVIÆ
In Officina Lazari: Anno D. M. D. LXXXVII.

NÆNIA

NÆNIA FUNEBRIS

AD

STANISLAUM SOCOLOVIUM

THEOLOGUM REGIUM

De morte JACOBI GORSCII, *Theologi & Jureconsulti.*

SIMONIS SIMONIDAE LEOPOLIEN.

STROPH. I.

VEllem (nisi nefas foret,
Lingua mea profana,
Verbum concipere entheum)
Concessum mihi, mortis
Illam, sepulcrorumque vim
Victricem; qua olim cœle-
[stum dia virorum
Pectora pollebant,
Quaque ipse Dux Sacer, Pro-
[les Dei
Excelluit; quando veteris
[memor
Hospitii, Bethanes
Regem amicum, ad ætheris
Rursum oras revocavit;

ANTISTRO: I.

Quem terra, quartum iam
Pridem tenebat, escam (diem
Tabi, & pabula vermium:
Recta ad te SOCOLOVII,
O sidus unicum meum,
Irem; & partito tecum mœ-
(rore, quem habes nunc
Ex GORSCII, manu te duce-
Funere defuncti, (rem
Ad pulverem, qui cassa viri
Ossa tegit; precibus- (illius
-Que ambo, ibi atque lucti-
(bus
Iunctis, fervidam Olympo

EPOD. I.

Vim moliremur; (fertus,
Cælitum si forte Pater mi-
Illam grandem animam, il-
(lud igneum oris
Fulmen redderet & tibi
Remitteret laborum
Socium, participemque
Dulcem, cor lacerantum
Curarum; Oceano quæ velut
Magno, pehorrescentibus (in
Aquilo-

Aquilonibus, irritati
Fluctus, animos pulsant,
Nec faciunt pausam assiliendo.

STROPH. II.

Sic scilicet mortalium
Divinitus parata
Sorte; ut cuique molestias
Sit sentire necesse;
Plusne his, vel illis, parte vel
Cunctis ex æqua, haut cuiquam percurrere promptum:
Id merito forsan
Pronunciarim: longe maximam
Molem, maligni ponderis, inditam
Talibus his animis;
Qualis aut tu es, aut tui
Quisquis se similem vult.

ANTIST: II.

Qui ex edita turri velut,
Mortalium has inertes
Vitas, & studia aspera,
Acri introspicientes
Visu, ne expertes quoque
Ipsi damnorum, Hebræi vocem Sapientis
Concipere audetis:
O vanitas, vanissima omnium
O vanitas rerum: Interea
Mens, lea ceu rabida, ignea
Carcerem, clatrosque prorSum indignata, perenni
Nisu, illas sedes, fectam,
E quibus sese meminit proSuspirat; volucrique sæpe penna
Contemplandi, avidam secat
Viam, ad domos Deum, atque
Liquidam vescitur illic
Divini dapem amoris:
Non id rite quidem, nec penitus
Diu; retro namque illico
Revocat vetus hospes, stricto
Ægram retrahens vinclo,
Jusque suum fœdusque reposcens:

EPOD. II.

STROPH: III.

Stat quippe limes, metaque,
Quam transilire non fas:
Atque arcte vetitum, obicem hunc
Ne quisquam ante refringat;
Quam summis ipse carceris
Præses, laxatis iubeat prodire catenis.
Ergo, animi quamvis
Non læta, claustrum visit hoc tamen,
Hæretque cura, saucia duplici;
Nempe siti fruitæ,
Sedis aureæ, volupTatisque irrequietæ.

ANTIS. III.

ANTIS. III.
Vernaculorum & hic dein
Senſu malorum amaro.
Tum faſtidia talia
Inter; non aliter, ceu
Quam febris ardens quem
coquit,
Huc, illuc, corpus per lecti-
ſternia mutat,
Morbi abitum quærens, (nus,
Fruſtra: perita enim niſi ma-
Cum poculorum apta arte
ſalubrium,
Subveniat medici,
Nil remittit ignium
Peſtis, ſed ſolitum urit:
EPOD. III.
Sic mens, ingrato (rum:
Terrearum ægrota calore re-
Non lætis vicibus, modo
hanc, modo illam,
Sectatur requiem inquies:
Labore inani; Enim adſit
Niſi amici (unica, cordis
Ægri, quæ eſt medicina)
Iucundum officium, & con-
ſilium,
Curisque mutuum, fides
Paribus, ſine noxa fervens;
Fruſtra latus huc illuc
Traiicias, quærasve levari.
STRO: IIII.
O charitas, o charitas,
Quæ coniugare forti
Nodo, fida virum ſoles
Corda, & fundere amorem
Dulcem in voluntates pares!
Quas non contingat livens
(atræ invidæ fel,
Nec penetrent rixæ,
Iras vehentes; alma ſanctitas
Sed morum, & ultro ſe reti-
(nens timor
Libero in obſequio
Fulciat; Dei haud ſine
Cuncta ornante timore.
ANTIS. IIII.
Nullis ego te conferam
Sub Sole rebus: olim
Eſſet quanta potentia
In te; ſat docuiſti:
Duo illa quando ſidera,
Has infelices luſtrabant lu-
(mine terras.
Cæſariæ PRAESUL
Et NAZIANZI: par ſodalium
Pulcherrimum: ſeu ponere
(non bonos,
In loca ſola procul,
Lubricæ iuventiæ,
Mores, accelerarent;
EPOD. IIII.
Seu puri, & iam iam
Inclytis cœli ſimiles alumnis,
Vitæ, atque eloquii, iubar
ſalubre,
Mari

Mari in tumultuoſo hoc,
Hominum oſtendere ſæclis,
Inſtarent; geminum ambo
Ipſi præſidium, & mutua fax
Sibique, aliisque: Sive enim
Vitioſam, animo non puro,
Labem, exuere aggreſſus,
Te revoces frugem ad meliorem;

Stro: V.

Magnum intereſt, ſis ſolus; an
Nactus virum fidelem,
Qui tecum quaſi brachio
Iuncto, ex ſorde reſurgat.
(Nam ſæpe pœnitentia,
Multos, ipſa, ad terram proſtratos, mage preſſit)
Seu vacuus labis,
Pravumque morem terga poſt habens,
Patranda victor mente agites bona;
Sæpius ipſe ſibi
Ardor anxius, moras
Conflavit dubitando.

Antis. V.

Incertus, an rectam viam
Inſiſteret, bonorum
In cæco agmine: quo loci,
Cordati viri amicum
Verbum, haut minoris gratiæ eſt;
Quam olim, vicinos nixus inſtare propinqui
Dum admonet hora anceps
Puerperi, obſtetricis; admodum
Magno æſtimatur, dextera ſtrenuæ.
Hoc quaſi nos ſuperis
Admonentibus palam
Vnum, nullum hominem eſſe,

Epod. V.

Illis ambobus
Defuit quod nusquam, in idem coactis.
Nam quercus geminæ velut, parenti in
Prato, quæ ſociare amant
Virens decus; ſoloque
Sibi radicibus hærent
Junctis; ſollicitæ nil
Ventorum minitantum, aut creperæ
Diſcordiæ moti poli:
Ita robora bina hærebant
Illi, ſtrepitus omnes
Contra, animis & viribus æqui.

Stro. VI.

Neque id tamen diu; ut nihil
Mortalibus perenne eſt:
Spectatum ſiquidem volens,
Vis magna altitonantis
Te Gregori; eſſes qui in tua
Seiunctus

Seiunctus virtute; ecce illum te alterum, ademit
Ante tibi; vitæ
Quam tu appulisses ultimam orbitam.
Quid Die Divum? quid tibi pectoris
Quidve fuisse rear
Tum anxitudinis? quibus
Vndabas lacrymarum

ANTIS. VI.

Decursibus? quum cerneres,
Tristi abditum, pheretro,
Illum, dimidium tui;
Testantur manifesto
Dicta aurea; ictu maximo
Mœroris, quæ tu percussus, ceu silice alto
Eiaculans se se
Fons largus, effudisti; & uberem
Professus ad nos usque dolentiam es.
Immemor ante mei
Sim ipse; cor tuum pium
Quam nolim meminisse.

EPOD. VI.

Ni fors, de vobis
Parciter duco mihi proloquendum:
Purum a sordido enim nefas apisci est.
Qualem sentio me miser:
Fleoque abominorque:
Pietatis tamen hoc sit
Vestræ; si pietatem (ribus
Huic non absimilem, tempo-
Pango meis; vestra bona
Venia; SOCOLOVIUS quando
Qui Religionis nunc
Magnus apex, & magna columna

STROPH. VII.

Stat, GORSCIUM amisit suum.
Magnam alteram columnam.
Qui rupes geminæ velut
Stabant horrida contra
Tumultuantum turbina;
Insana sanctam arcem pulsantum obsidione,
Fanaque, sacrosque
Cultus, ruentum pessum: & eloquar
Fidentius: clarum abdere ve-
Judicium prohibet: (ritas
Innocentia neque
Vitæ, alto neque cordis

ANTISTRO: VII.

Vigore, & ardore in Deum,
Fervore nec sciendi
Multa, aut divite copia
Fandi, ulli inferiores.
Sed hæc erant: At tu interim
Æqualem luctus sortem nactus Socolovi es,
Ad superos rapto

Ex GOR-

Ex Gorscio, alter Nazianzenus,
Hic verba, triſtem forte levantia
Morbum, animi impliciti,
Ore libero meo,
Manatum putabis?

Epod. VII.

Fruſtra: quippe haut ſum
Tam impudens; ſcire hactenus ut diſerte
Nolim; lucifugam neque alitem, alas
Suſtentare aquilæ impigræ
Solere: nec meam imam
Operam, artemq; Camœnæ ex-
-llem, poſſe tuæ illi
Menti magnanimæ, atque al-
Solatio ſuccurrere: (tivolæ,
Satis eſt mihi, ſi vos laude &
Fidi ſtudio affectus (dam
Proſequor; & veſtigia quon-

Stroph: VIII.

(Niſi hoc quoque arrogans nimis
Votum ſit) apprehendo.
Et quamvis alia impotens
Sum forte, atque animi arcti;
Nunquam tamen, magis meam
Mentem, laudum externarum admiratio ducet,
Quam indigenarum: iſtam
Vanam, & nefandam peſtem enim ſcio,
Turbaſſe vitam; & plurima iamdiu
Splendida regna, ſolo
Resque publicas ſacras
Vertiſſe; in ſua cives

Antis. VII.

Dum ſunt iniqui, atque ex-
Sectantur inſolenter. (tera
Ergo Gorscius, aurea
Inter ſidera pridem (rum,
Fulget, piorum augens cho-
Noſtræ non temnendæ altricis Sarmatiæ flos
Conſpicuus; qualem
Olim alterum illic, Maximum Hosium
Habemus; iſthic tertius usquedum
Tu reliquus Socolo-
-vi, ſuper manes: diu
Soſpes ſis utinam: nec

Epod. VIII.

Nos prorſus Divum
Ira ſupremo ſpoliet decore;

Triſtem nam video urbium ruinam;
Vir quondam e quibus in-
Iubetur egredi; quo (teger
Gravius, liberiusque
Cœlo ſcilicet actus
Imber ſulphureus, perplueret
Sceleſtâ tecta. Sed mala
Procul effuge, Muſa infelix,
Diro omine venari:
Fauſta mage & ſyncera pre-
cemur.

SIMON SIMONIDES LEOPOLIEN.

IN STANISLAI SOCOLOVII

PARTITIONES

ECCLESIASTICAS

POſtquam moleſti pertinax morbi labor
Sermonum honorem, & oris abſtulit decus,
Divum diſerto interpreti Socolovio,
Nec iam vigorem poſſet uſque priſtinum
Tenere fandi; ad aſtra quo Regum inclytas
Mentes vocabat: ne illa maieſtas ſacra
Linguæ efficacis prorſus exoleſceret;
Qualis vigebat tum, hanc ſua ipſemet manu,
Hoc in libello imaginem expreſſit ſui;
Vt alii haberent, unpe ſeſe fingerent.
Tamen, perite lector, haud putaveris,
Hac in pagella perbrevi, una atque altera,
Quantus fuerit, omnem editum Socolovium:
Duntaxat hæc imago, vel adumbratio,
Eſt potius exigua, pari exemplo ſolet
Parva in tabella, pictor expreſſam dare
Late patentis orbis, aptam imaginem.

THOMÆ

THOMÆ ZAMOSCIO

ODE.

STROPH. I.

THoma, tu quidem nunc
  Vesceris ævi lenibus auris,
Matris unicus lepor,
Mentem novellam lusibus
Lactans, neque dum sciens
Mœrores curamque severam,
Ætatis ignorantiis lætus satis.
Tuus interea sator, in-
-Victum sponte referre periclis
Pectus audet, sangvineam procellam
Belli arcens patria a sua.

ANTISTRO. I.

Aurea unde terras
Pax tegat, illi gloria surgat
Ad plagam volans poli.
Consuesce iam nunc acribus
Aurem domitare di-
Ctis, & te tanto genitore
Dignum incipe gerere. non Deorum tu audias
Soboles melius, patre præ hoc,
Nec virtutem excelsius olim
Culmen ascendas, neque lætiorem
Fortunæ invenias sinum.

EPOD.

EPOD. I.

Quamvis avorum non tibi origines,
Cum ipso nomine conditæ Polono
Desint, vetustatis propage ab ultima.
Sed genitor tuus
Luce tanta fulgurat ante cunctos,
Præstinxe lumina omnium ut
Credatur, nomenque tulisse
Zamoscium ad cœli domos;
Mortalium sortem exuperans, propior
Diis, superum ingenia æmulus.
Age, fili, non tu speculum te ad
Splendidius potes exigere,
Quam facta attentus servans recolensque parentis.
Ast pulcherrima rerum,

STROPH. II.

Fama quæ modo astris
Æquat, opaca nocte teguntur
Mox, iacentque proruta,
Ni oblivionis invidæ
Nubem, memor auferat
Musa. huius si me quoque suasit
Arcum vocalem Parca verax tangere,
Alacer tibi ego ambrosiam hanc
Defundam non paupere dextra.
Plenior tu olim ævi, animisque maior,
Splendores releges tuos.

ANTISTRO II.

Limpidum per orbem
Cœli, oculum si mittere tentem,
Sole pulchrius nihil
Venabor, in sudo die.

Regum

Regum neque glorias
Inter, quicquam laude Bathorræ-
-A, maius emicat meam circa chelym.
Columen fuit ille & apex
Summus rerum, quo auſpice, virtus
Arduum cœlo caput efferebat,
Florebant cata pectora,

EPOD. II.

Ibant feroces vulneribus viri,
Placebantque ſibi hoſtium cruore.
Tuus ſed omnes inter exſtabat pater,
Dans radios procul.
Qualis ornus eminet inter ima
Dumeta. eum ſibi unicum
Rex florem decerpſerat, ex quo
Suos honores necteret.
Nec falſus illo præſidio viguit.
Seu fera munera militi-
-Æ, ſeu pax iucunda vocabat,
Ille acies quatere armiſono
Horrore, ille animos legum frænāre lupatis,
Blandus, ferreus idem.

STROPH. III.

Nomen ad tam amicum
Regis, humum prona venerare
Fronte. origo maxima
Veſtri ex eo fluxit boni,
Veſtra is decora omnia
In lucem produxit apertam.
Ignotus auri lateat in caſſum nitor,
Magnus artificis niſi ſo-
Lers, ereptum carcere cæco,

Divitum

Divitum menſis, ſuperumque templis,
Grato munere dedicet.

ANTIST. III.

Viveres ſaluta-
-Re iubar, o divine Bathoreu,
Non Polonia hoſtium
Ludus foret, non Dacia
Quondam tua ſat potens,
Nunc fortunæ eheu pila, ſupre-
-Mis fluctuaret preſſa tempeſtatibus
Spoliata ſuo veluti
Navis rectore, æquoris omnes
Fert minas, nudum latus, his, modo illis
Ægre ſaucia cautibus.

EPOD. III.

Spiris modo illam immanibus occupat
Draco ingens, avide ſacrum cruorem
Paſtus tuum, & funeſta ricta late hians.
Nec ſatis, impete
Se dedit noſtrà ad ferus uſque regna,
Genteſque vicinas ruit.
Haud impune, haud linquet inultam
Peſtem hanc manus Zamoſcia.
Hic hic mihi te, o Die puer, memorem
Da, quibus ad mala tanta vi-
-is ventum, ut lapſum ſimilem poſt
Cautior effugias, neque tu-
-am ætatem temere affligas tanti ad ſcopuli ictum.
Mœrens vulneris oram

STROPH. IV.

Iſtius retracto,
Nam macula hæc infeſtat amicos.
Quando deſinebat in

Terris

Terris diurnare ille Rex,
Dacis iuvenem ſuis
Rectorem linquebat, ut ævum
Poſitus tamen ſub optimis tutoribus
Ageret, melior quoad æ-
-tas maturis ſurgeret annis.
Quandiuque iſtis ſtetit inſtitutis,
Pulchre Dacica res ſtetit.

ANTISTRO. IV.

Sed reiecta poſtquam
Imperia, excuſſumque ſenile
Eſt iugum, & licentia
Permiſſa percuſſoribus
Ferri, ſubito in bonos
Cuſtodes deſæviit enſis.
Hæc porta (pro nefas) data eſt tetris malis.
Velut aggeribus maria
Ruptis, terras impete pleno
Occupant, lætosque boum labores,
Vaſtis gurgitibus ferunt.

EPOD. IV.

O quis quis iſtis conſiliis modum
Præcinis, nimis ah nimis cruentum,
Non ſentis, in tuum recaſura hæc caput.
Juſtitiæ vigil
Cuncta figit longe oculus, ſuisque
Apprendit anſis noxios.
Dum ſanctis deflectere quæris,
Fluxam iuventam moribus,
Exoticis dumque atteris opprobriis,
Forte tibi ut pateat via
Lauguentis vitam per inertem,
Tutior, ad ſaturandum animum

Seu

Seu dulcedine prædæ, ſceptri ſive rapina
Idem vulnificus te

STROPH. V.

Enſis abſtulit. te-
-Cum cecidit lectiſſimus una
Flos virum, patres boni,
Fulmenta Daciæ ultima,
Hauſti exitio aſpero.
Nam quis tum non credidit omnes
Nervos ruentis amputatos Daciæ?
Iterumque iterumque tuam
Apello blanda venia aurem,
O mei regis genus, o Bathoreu.
Vtcunque impia funera

ANTISTRO. V.

Excitata ſunt abs
Te, tamen immunem fuerat par
Cædis atque ſangvinis
Servare fraterni manum.
Hoc fonte tibi malo-
-Rum venere examina dira,
Facemque Tiſiphone adfuit quaſſans nigram,
Tua quæ furiis premeret
Fata infeſtis, ſtaro loco nec,
Aut pati tutam ſineret quietem.]
Nam quisquis relegat tuæ

EPOD. V.

Vitæ tot euripos, tot inania
Momenta, exiliique curſum iniqui,
Rerumque cœptarum refluxus irritos,
Diſpiciat liqui-
-Do, flagelli ultoris eam eſſe labem.
Tu Marte quamvis ferreo

Par

Par primis victoribus ires,
Regumque te alta affinitas
Bearet, istis præsidiis tamen ad
Exitia usus es ultima,
Pæne ad vana insomnia felix.
Nunc tibi vix miseræ superest
Libera sola fugæ latebra, obscurique recessus.
Dii recto pede fortu-

STROPH. VI.

-Nam tuam reponant,
Et placidi tandem aspiciant te.
Nec tibi, o sacrum caput,
O debite altioribus
Orsis iuvenis, suo
Quem Roma insignem colit ostro,
Tractare clavum Daciæ ingratis datum.
Lachrymis oneror memorans,
Quam te indigna morte peremptum
Prædo periurus rapide involavit.
Quod monstrum prius execrer?

ANTIST. VI.

An dolos, quibus te
Perculit impurus veterator,
Prodiditque victimam
Innoxiam immiti lupo?
An punica iussa pel-
-Lacis, nexu regna vorantis
Viciniæ? an tuis peristi animis volens!
Potiora minoribus au-
-Sus mutare, & quæ nihil ad te
Attinent, aris melior sacerdos,
Quam regum solii capax.

EPOD. VI.

Portum ſenectæ ſi mihi tangere
Illæſa rate, naufragam iuventam
Turbo protervus vexat inſano mari,
Nec ſapere advenit,
Poſt niſi exhauſtis varia procella.
Ille optimos curſus tulit,
Ætatis per lubrica, qui ſe
Duci manu admiſit ſenum,
Modumque ſidis conſiliis tenuit.
Die puer, tibi nam labor
Hic ſumptus, te mens mea quærit.
Te licet & genus, & genitor,
Et gazæ, & decorent rerum incrementa ſuprema,
Nec felicior olim

STROPH. VII.

Te ſit unico alter,
Poſcere nil præſtantius a Diis
Hanc tamen potes vicem,
Mortalium ut germen ſumus,
Cunctis ſubeunda lex
Fati, ſero ut patre carendum
Contingat hoc tibi, nec viros inter niſi
Poſitum, ſenii ipſe ſatur
Linquat, tuto & collocet ævo.
Jam tibi lætis ſpoliis onuſtus,
Vltus perfida nomina,

ANTISTRO: VII.

Advenit, tibi iſta
Præmia, manſuros tibi honores
Congerens. viden' virum
Quantus præit famæ ſonor?
Viſas acies fugax,

Ille

Ille olim atrox, non tulit hostis.
Alienaque affectans, suis ægre excidit.
Avidam cohibere sitim,
Et mensuram noscere habendi,
Magno opus dignum Hercule. sæpe dum umbras
Maiores inhiat procax

EPOD. VII.

Fames, dolosis ingemuit cibis,
Et mala crepuit patens inani.
Sed tecta, coniugemque caram, prorsus ut
Nullo adit ambitu?
Vt Deum supplex veneratur aras!
Accepta dona illis ferens,
Incertum mansuetior, an for-
-tior. secundent perpetim,
Quicunque Divi te sibi conciliant,
O iubar, o columen meum,
O lux sola, invicte Zamosci.
Te te ego sæpe bona cumulans
Affabor laude, & natis Helicone corollis
Cingam tempora amica.

ODE·

O D E

ZAMOSCI *in Typographia Academiæ, Martinus Lenſcius excudebat. Anno Domini M DC XII.*

THOMÆ ZAMOSCIO

CAPITANEO KNISINENSI

O D E.

STROPH. I.

MUſa, veritatis arvum
Recto ſulco ſindere par eſt;
Præcipue iuvenilem apud aurem,
Quam blandiens ſuſurrus e mentis ſtatu
Perniciem trahit in pudendam,
Amore ſauciam ſui,
Fallacibus præconiis ineſcatam.
Tu committere noli,
Mendaciorum ut nos temere arguat
Vlla ætas. ſpeculo quæ velut in nitido
Olim reddit conſpicuas facies
Dictorum inepte, aut naviter.

ANTISTRO. I.

Solis at iubar, per amplum
Æquor cœli, lampade aperta
Flammivomum radium iaculantis,
Rectis oculus obtutibus non ſuſpicit,
Ignibus ex nimiis tenebras
Et cæcitatem quin trahat.

Imagi-

Imaginum quod lævitas, vel undarum
Splendor, temperat apte,
Benigniorem visibus exhibens
Vim flammæ, & reprimens oppositis veluti
Lentis umbris, aspicere ut liceat
Solis facem pulcherrimam.

EPOD. I.

Tu quoque, o vitæ iubar, o supremum
Sydus, inclyta veritas,
Blandius insinuas capacem
Aurem tui, velo super
Condita, dulcem agitans intus amaritiem.
Qui tuos vultus ferat irretorto
Lumine, hunc fabor superare longe
Promas fulminis alites.
Vitabo ego procacem,
Odii creatricem, insolentiam linguæ,
Quum me cupido flexanima inpulit
Affari unicum alumnum,
Tentantem primam pennam proferre volatu
Insolito, & nidi erumpere carceribus

STROPH. II.

Gestientem aperta vitæ
In spacia, ingentesque recessus.
Magnanimi soboles genitoris,
Qui portam Olympi contigit virtutibus
Intrepidis, patriæ parentis
Nomen potitus arduum,
Te Thoma, te fili optime, optimo voto
Fidus prosequor augur;
Vestigium si ponere in orbitam
Contendas patriam, culminaque illius ap-
-prendas laudum; non labor Herculeas
Vltra columnas tendere ANTIS.

ANTIS. II.

Sit tibi. ſuprema meta
Hæc utinam conatibus olim
Rite tuis ſe præbeat æquam.
Nec vana ſpes nos faſcinat, pulchris ſuper
Principiis quibus indolem ſci-
-te perpoliviſti tuam.
Fundamine hoc iacto, nihil caducum, ni-
-hil ſtructurum humili orſu,
Quin editurum ſplendida nominis
Sacrarum & virtutum decora omnigena.
Quum nec parte iſta tibi provida mens
Cari parentis defuit.

EPOD. II.

Qui licet fatis raperetur, & te
Orbitatis in aſpero
Linqueret, ancipitique lapſu:
Ætatulam tamen tuam,
Et ſtudiis, & rectoribus applicuit
Sedula cura tibi comparatis,
Qui manum fidam ad genus omne ſplendo-
-rum noſſent tibi porgere
Nec tu ſequax bonis tu-
-is defuiſti; quin labore perſtante,
Ad templa doctrinæ ardua vectus es;
Culturamque iuventæ
Muſarum in gremio poſuiſti; ſtrenuus idem
Fingere te duri Martis ad arbitrium.

STROPH. III.

Quod ſatu venit benigno
Naturæ, aut divinitus hauſtum eſt,
Hoc regnat, longeque relinquit
Artes minores anxia ſolertia.

Sed

Sed neque vitigenus latex, nec
Fœcunda frugibus ſola,
Sine adiuvante germinant ope externa.
Sic coniurat amice
Manuſque noſtræ debita navitas,
Nativoque ortu copia luxurians,
Connexa ut vinclo vigeant gemino
Humana cum cœleſtibus.

ANTISTRO: III.

Herculis nec alta virtus,
Ex Jove quamvis creta parente
Ætherea ſe ab origine iactat,
Citra magiſtri ſe extulit peritiam:
Quin ferulæ puer ille preſſam
Subduxit uſque dexteram:
Linumque doctorem modeſtus expavit
Formantem arte ſevera
Os, atque ſenſus pectoris igneos.
Et modo frangentem fræno animum rigido,
Lora interdum liberiora habili
Dantem lupato: quo ferox

EPOD. III.

Sueſceret iuſſis domitari amicis,
Seque blandior orbitam
Mittere cogeret in patentem.
Simul nec Eumolpi manus,
Nec moduli citharæ, nec lyra grandiſona
Defuit, motus ſolita impotentes
Siſtere, & mentem reparare amænam.
Ceſſavit neque roboris
Cura interim, nec acre
Mavortis imperterriti rudimentum.
Fallente longe certus arundine,

 Quod-

Quodque excelleret arcu
Lætifero, Eurito didicit monſtrante; quod artus
Intrepidos luctæ, cæſtibus & latera

STROPH: IIII.

Expedita non negaret,
Torvo ex Harpalice impiger hauſit;
Indomitos agitare iugales
Amphitruonis patrius docuit amor.
Nec puduit reſidem ſenectam
Nati iuventæ impendere;
Dudumque lento ſordidos ſitu currus
Prompto extergere ludo.
Quis neſcit armis Caſtora maximum?
Sive hoſtem ferro ſternere, ſive dolo,
Seu ſtructas exponere campo acies,
Seu tuta caſtra condere,

ANTIS. IIII.

Aut vafram fugam aucupari
Militiæ anceps poſceret uſus.
Idem eques, idem comminus haſta
Ire bonus radiante vultu,
Enſemque fulminare miſſis ſtragibus;
Ictusque ſcuto fallere.
Tunc ſors iniqua patrio ſolo extorrem,
Opportuna ſed annis
Alcidæ, ab Argo vexerat inclyta;
Vt præſto eſſet, qui talia munia con-
-ferret divinum in iuvenem, & teneram
Duraret aſper indolem.

EPOD. IIII.

Qualis herboſo riguæ refectus
Ripæ margine flos nitet,
Quem radio recreat benigno

Sol

Sol almus, & rore educat,
Aurisque aſpirant egelidis Zephyri,
Cura nec deeſt ſollicitæ puellæ
In dies cultricem operam afferentis.
Sic per congrua ſplendidæ
Ætatis incitamen-
-ta invictus olim Heros migrabat ad frugem.
Matura ſed quum flore genam novo
Pubertas redimibat,
Ardua nec poterat patrio lare mens cohiberi,
Verſabatque animum præcipiti ſtimulo

STROPH: V.

Gloriæ recens cupido;
Tunc ſonipes veluti ſatis alta
Ad præſepia paſſus herile
Imperium, ſtrigilimque acutam;
Duellicæ ſi ſe tubæ raucus ſonor
Late extulit, iam nec pede
Conſtare tranquillo, nec aure non mota
Nec vinclis retineri
Quit amplius; quin pulſat identidem
Auras hinnitu clariſono, & properos
Spernit cuſtodes, lacera implacidus
Repagula extra provolans.

ANTIS. V.

Sic domo gradum efferebat
Alcidæ ardor, mox tenero ungvi
Obvia monſtra avidus domitare,
Latum animo immodico capeſſens
Orbem. pavoris tum ſenex Linus, ſimul-
-que plenus excelſæ ſpei,
Suſpenſa volvens gaudia anxio corde,
Sic affatus alumnum

Sermone fertur candidus aureo.
Fili, dum patrio limine te acceleras
Efferre, & vitæ æquor in ambiguum
Insueta tendis lintea;

EPOD. V.

Accipe hæc nostri monumenta amoris.
Limen hoc, pede quod teris,
Quodque relinquere gestis, omnem
Ad vitam habet primarium
Momentum; qualem te facie aspicien-
-dum dabis prima, reliquos in annos,
Tale te ævi iudicium sequetur.
Pulchrum splendida frons opus
Insignit, atque honorem
Diffundit in totius adyta structuræ.
Proinde partes verte oculum vigil
In cunctis, tibique instes
Attentus censor, ne quid leve, ne quid ineptum,
Ne quid committas ludibrio expositum.

STROPH. VI.

Quum latus tuum tegebat
Nostra cohors, nunquam monitoris
Fidi cauta voce carebas.
Nunc mare velivolum petit tu-
-a navis, excipienda tempestatibus,
Et turbinum vasto agmine,
Trahetque te discors modo huc, modo aura illuc,
Fallentque ipsa guberna.
Nec saxa deerunt perfida, nec latens
Sub cæco scopulus marmore, littoraque
Fraudem intendent obvia; sæpe etiam
Tranquillitas blanda obruet.

ANTISTRO:

ANTISTRO. VI.

At tibi cavenda nulla
Tantopere eſt rapidiſſima Syrtis,
Nullæ navifrago ore Charybdes,
Quantum animi maleſana labes,
Procax voluptas. hæc veneno te ſuo
Si læſerit; non amplius
Vllam ſalutis ſpem potes tibi optare:
Quin inglorius ævum
Turpi ſupinus deſidia inquines,
Vivaſque obſcœnum mancipium, neque te
Vel nomen, vel percelebres tituli
Exemerint opprobrio,

EPOD. VI.

Ne pudor proſtes, populique ſanna.
Huic propinquior altera
Nec levior ſtudiis nocendi
Vitanda erit peſtis tibi,
Blandus adulator, nomine amicitiæ
Splendidum fallens, ſcelerum magiſter
Vnicus, fraudum calidus repertor.
Quem ſanctiſſima veritas
Solum diſertim abhorret,
Virtusque torvo ſpernit execrans vultu,
Et fida amicum turba fugit procul.
Ad diſpendia rerum,
Labentesque domus, fortunarumque ruinæ,
Sumptusque immodici, pravaque luxuries,

STROPH. VII.

Poneque imminens egeſtas,
Non dubio paſſu comitantur.
Nec te decipiat nimium tu-
-i precium; licet examuſſim

Induſtriæ

Induſtriæ felicibus præſtes bonis,
Neſtraque cura creveris
Tam pulchre, ut anteite te haud queat quivis;
Seu fandi expetat uſum,
Seu expeditam res ſapientiam.
Nec ſimulacra iſthæc militiæ genita
Inter luſus, & ſtudia artificum,
In angulo atque umbra domus,

ANTISTRO VII.

Spiritus tibi ſuperbos
Suppeditent; ut protinus audax
Mittas te in temeraria damna.
Multa prius capias oportet
Ipſa ex arena, multà diſcas admovens
Manum, & ſcientes conſulas,
Credasque demum te peritiæ expertæ;
Feſtinansque retentes
Pedem morantem; nec ſimul omnia
Coneris; neque vota aſpera præcipites;
Nec rumorum frigida nomina ſe-
-cteris, ſalute præ rata.

EPOD. VII.

Qui ſibi dux eſſe viæ irreprenſus
Poſſit, hunc ego Diis parem
Nec genere ex hominum putabo.
Mortalium ſors mutuo
Alternæque vicis nititur auxilio.
Ille ter felix, meliore qui ſe
Parte tutatur, neque vana vulgi
Ad conſortia convolat.
In putridum neque incli-
-nat parietem, lapſu obruendus alieno.
Ducem leonem damæ etiam timi-

-di acri

-di acri ardore ſequuntur
Futilis at ductor vaſtorum corda leonum
Frangit, & in fœdum deiicit exitium.

STROPH. VIII.

Tu viris ubique adhære
Fortibus, exemplumque, modumque
Ex illorum laude capeſſe,
Et ſequere impete pertinaci.
Laboribus, periculisque ſtrenua
Virtus emi deſiderat,
Nec gloriæ impertit decus niſi exhauſta
Poſt certamina mille,
Omnemque mollis reſpuit otii
Langvorem, ſemper conſpicua egregio
Sudore, inſtans ſemper ubique ſibi,
Non larga ſomni, non cibi,

ANTISTRO. VIII.

Vulnerum neque abſtinens: quin
Ipſam gaudens ſpernere mortem.
Jam mihi læto in pectore geſtit
Mens avida, & cytharæ loquaces
Chordas retractat, laudibus ſeſe tuis
Olim ſonoram comparans.
Jam te tuor pulcherrimo cruore auctum,
Monſtrorum domitorem,
Pacem ferentem, atque aurea ſecula
Orbi pacato; iam facies ſcelerum
Diræ abſiſtunt; iam mala diffugiunt,
Diſcordiarum turbina.

EPOD. VIII.

O mihi tantum ſenii ſuperſint
Non breviſſima ſtamina;
Vt ſatiare oculos tuorum

Splen-

Splendore factorum queam.
Tum me nec turbet funeris atra dies,
Dulce nec solis iubar hoc moretur,
Lætus ad metas veniam sepulchri,
Famæque hi digiti tuæ,
Voxque immori haud recusa-
-bit. Hæc profatus Linus ore cygneo,
Manante largo sollicita gena
Fletu, non sine mistis
Lætitiæ auguriis, cupidum emittebat alumnum,
Amplexuque hærens, multa etiam atque etiam

STROPH. IX.

Submonebat, & senilem
Anceps solabatur amorem.
Nec mihi sit iucunde Zamosci
Deterior senii receptus,
Vt conquiescam olim in tuis virtutibus,
Fatique tangam terminos,
Laudum tuarum, atque inclytæ satur famæ.
Sentis? quanta vocat te
Procella rerum? quo tonitru ruat
Horrida tempestas? non tibi sese aperit
Primæ frontis vestibulum facile;
Sed ultimo discrimine

ANTIS. IX.

Patriæ involuta damna,
Vim rigidam induere, atque salutem
Duris suadent quærere in armis.
Concipe iam iam animo virilem
Fidentiam; ætatemque te supra exere.
Periculum ingens negligit
Evolvere annorum propagines longas.
Hortatu obvia quæque

Non

Non differendo nomina convocat.
Nec parcit iuvenum pectoribus teneris,
Nec fortunæ purpureas refugit
Sedes, superbam vel domum.

Epod. IX.

Nunc ferox iam te sonipes paratu
Sublimem accipit aureo
Stare loco inscius, & lupatum
Labro remordens. ast ego
Cum cythara & votis te sequor, atque viam
Flore Musæo tibi sterno, Soles
Candidos illos cupidus videre,
Qui te, tum mihi sospitem
Reddent, adorea auctum
Pulchra duelli, fortibus vigentem ausis.
O Dii; Polonæ cura quibus rei
Permissa, o prohibete
Æternum opprobrium, tristesque arcete ruinas,
Et pacem nostris reddite temporibus.

ÆLINOPÆAN
O D E.

Strophe. I.

DIffidentia, quæ futilibus
Auris suspicionum
Elata, recti consilii obices
Volvis tenebras, veritatisque aureum
Solem, invida caligine,
Mundo eripis: rerum interitus miseros,
Et damna sero pœnitenda,
Post propagans, fœdo ab ortu:

Quantis malis implicasti,
Altricem patriam meam,
Septemtrionum ocellum,
Mavortis aream duellicam,

ANTISTRO. I.

Terram magnanimum Roxiadum?
Quam, (pro fata fera, ach fe-
-ra fata) sæva indagine, Barbarus
Hostis, modo penetravit; ignium ferus
Jactator, insessor procel-
-lipes domorum, non pecorum aut hominum
Discriminis servans, neque ulli-
-us satur prædæ aut rapinæ.
Hunc turbinem olim adfuturum,
Gnari multa Samoscidæ,
Præsenserat catum cor,
Longe ante enim robur capax labo-

EPOD. I.

-rum, & mens consiliis fulta fidelibus,
Cui suppetit; futuri
Scientiam is cognatam habet.
Quorum utrorumque usibus assiduis,
Ævum subactum possidet Samoscius.
Ergo luce velut palam
Viderat in media
In Russiam ventans malum.
Regemque, sessimoniumque
Regium, plena procerum in corona,

STROPH. II.

Pulsabat validis hortatibus:
Magno nauta mari ceu,
Clavus regendus cui onerat manum,
Pellaciæ omnis Ponticæ sat conscius,

Nulli

Nulli sereno credulus,
Proporro turbas æquoris ingruere
Sentitque, nuntiatque, remi-
-gumque robustam increpat vim.
Fando recensebat ille,
Vtcunque, exuperans favor
Divum, rei Polonæ
Donaret eventus pulcherrimos;

ANTISTRO. II.

Ne ridente animum diluerent
Fortuna, levis auræ
Securi; eo, quin sollicita mage
Cura excubarent, serus incerti vehat
Quid vesper. ac vel omnia
Portu natarent iam in placido; sibi quo-
-ties recordaretur oræ
Russiæ, non posse mentem
Consistere; illam sueti
Quando præsidii vide-
-at indigam, nec usum
Vllum relictum per Polonias

EPOD. II.

Fixæ militiæ. si subita infremat
Procella, se se habere ex-
-ploratum, & ipsis editos
Patribus Diis, figere splendida non
Solitos trophæa, unius hastæ cuspide.
Magnas, magnam opulentiam,
Poscere suppetias;
Cassamque custodis forem,
Ad damna prædonem advocare.
Non Scytham tantæ pietatis esse,

STROPH. III.

Cui ignotus ager, cui nec ara-
-tur, nec conferitur, fed
Vetus rapina vivere mos tenet;
Porta data, prædarum ut immemor velit
Manere. quanquam efto, ut ferox
Lupi fames, mite induat ingenium,
Atque æquitatis limitem intra
Se coerceat, nocendi
Vltro abftinens: nidulato-
-rem tamen Dneperi accolam
Vagum Nifovium, nun-
-quam huius daturum copiam boni; ir-

ANTISTRO. III.

-ritatam rabiem, atrox Scythia
Ne mox exerat. is quo-
-niam, loca in fola, ob melioris o-
dium receffet vitæ; & a laboribus
Iuftis, ad infolentiam
Se contuliffet belligerandi; agitan-
-disque undique improbis rapinis
Incubaret: non Dei, non
Legum fciens, fœderumve;
Tantumque affiduæ daret
Iniuriæ, per omnem
Viciniam: ut nifi fræno illicet
Acri in legitimum ponitur ordinem

EPOD. III.

Latrocinique finem
Tandem facit: iam non modo
Impigræ ultrici Scythiæ, ftimulum
Hunc admoveri ad fæviendum congruum;
Sed bello quoque Turcico
Sat fore follicitan-

-do. cuius impetum horridum,
Vel perperam ire provocatum,
Vel pati, ut ſponte irruat imparatis,

STROPH. IV.

Mendoſe rationantum hominum
Eſſe, & cledis apertæ.
Hæc tum tonabat verba, tenax minis
Inſtare monitorum orbitam veracium.
Ventis ſed obſtrepentibus,
Inter ſonorem ſilvifragum, haut facile
Humana vox aptatur auri.
Conſulares nec tum apud vi-
-ros, audiebatur ille
Sermo, turbine ſuſpici-
-onum, fidem opprimente,
Quaſi is, ſuam furore in Martio

ANTIST. IV.

Qui ſpernens animam, pro patria
Hoſti ſe toties ma-
-gnam victimam devoverit; arduus
Æque manu, & ſapientiæ templa edita
Cum flore virtutum obtinens,
Privata lucra, incommoda publica per,
Fallace venaretur arte.
Spreta veritas, amat ful-
-men, accita ira, æmulari.
Fervens urit enim dolor,
Videre corruentes,
Qui ſtare contemnunt de induſtria.

EPOD. IV.

Nec ſe continuit; quin genus omne homi-
-num, & Divum, & omne quodcun-
-que eſt fas nefasque, teſtimo-

-ni ad

-ni ad ſacramentum, increpitans raperet;
Genioque patriæ ſuam deponeret
Dextram, fidi animi obſidem.
Quandoquidem ambiguus
Sententiæ feratur atque
Indignior, quam tuto credi
Cui poteſt; belli interea labor, ſi

STROPH. V.

Qua prorumpat, & improvida tur-
-bet regna, exitiique
Det vulnus: illorum fore crimen, e-
-ventu magiſtro, ſaucii, ſero utilem
Qui poſt crepant ſolertiam.
Nunc ſe monentis temporio officio
Fungi: ſed excludi invida aure.
Tum quievit, cura edens cor.
O Muſa, quæ mella mi li-
-bas ignobilis otii;
Immunis ut, carensque
Honorum, inerti me ſilentio

ANTISTRO: V.

Damnem; non mihi tu falſiloquam
Doctrinam memoraſti.
Si quando vitæ tædia me meæ
Vexare poſſent, & negotiis ave-
-rem intrudi: ut anguſtis poti-
-us in viarum anfractibus, indomito
Concurrerem pugnans leoni;
Quam ſuaſor fortis orſi
Ad diſſonum vulgus irem:
Hoc certamine, lubricum
Poſtquam pedem frequenter
Impingat, omnium arrectiſſimus

EPOD. V.

Epod. V.

Vir; nec ſuſtineat frangere murmura
Inconditum frementis
Turbæ. neque hos miror tamen;
Diſſiti, amplo in corpore, latipaten-
tis regni, ad ærumnam remotam, incredulo
Si qui pectore dormitant.
Maxima nec Babylon,
Longinqua ſenſit protinus
Tecta vrbis, inflammari ab hoſte.
Nam domi quod fit, fodicat propinquo

Stroph. VI.

Id demum ſtimulo; ad damna alie-
-na, ultro quisque ſupinos
Senſus gerit. vos, vos, paries quibus
Ardens, petebat proxima flamma latus;
Quorum imminebat vertici
Ruina præceps; vos ſtupeo mea gens,
Germen beatum Ruſſiæ almæ.
Nam ferunt, authoribus vo-
-bis, rem impeditam; lupatum
Ne Niſovius accipe-
-ret. quem, manu eſſe promptum,
Vitæque non parcum, ferro pacis-

Antis. VI.

-ci; non quisquam alius, non ego poſ-
ſim cum fronte negare.
Sed, nulla virtus, fruge bona nitet,
Legem, omnium reginam, abhorret quæ pati.
Vetabo, ſi prudentior
Se patria quisquam gerere inſtituat;
Nec arma bellatoris acri-
-ora perferenda, ſupra

Quam

Quam lex ſinat. tædet in vul-
-gus ſparſi opprobrii; attamen
Rumor frequens ſuſurrat;
Plerisque vobis cum Niſovio,

EPOD. VI.

Commune eſſe bonum, participandaque
Belli arte, furta quæri.
Hoc obſtitiſſe, ſub iugum
Fervidæ ne colla licentiæ abi-
-rent. ſubdolus lucri eſt nitor; blanditur in-
-eſcans exiguo illice;
Retia mox aperit
Cuncta haurientum cladium.
Morbo impotenter obſecundan-
-tum, procax hæc mollicies habetur;

STROPH. VII.

Vt culpa tenuis ſæpe cibi,
Ob ſolatia parva
Læſi palati; funeris accele-
-rent ultimam horam, perperam inſanabiles.
Imago veſtra, hæc ne foret
Vellem nimis. verum, horrida vaſtities,
Humoque fumans Ruſſia omnis,
Clade ſat monet recenti:
Niſovienſis rapina,
Quanto fœnore conſtite-
-rit; quam Scytha, ærea, aure-
-is, lance inæquali, mutaverit.

ANTISTRO: VII.

Luctus ſingula fari prohibet.
Heu, cui ille pepercit
Aut ſexui, aut ætati, hominumve, ani-
-mantumne? cui rei prophanæ, vel ſacræ?

Cui

Cui culto, & inculto loco?
Quæ virgines, matrum e gremiis; quot aba-
-ctæ coniuges, obscœnum ad usum,
E virum complexibus? quæ
Pubes, qui alumni Gradivi,
Bellorum unica robora,
Stravere cæde terram?
Omnique congesta cum opulentia,

EPOD. VII.

Plebs, nullo ordine, nullo numero, pedi-
-cis acribus recepta,
Finesque pulsa trans suos,
Ferreum in sæclum, exilii ad toleran-
-tiam nefandi. Lachrimæ; haut meta hæc mali.
Maior vos metus imperat
Sistere mollem oculum.
Podolico nondum ex agro, tem-
-pestas migrarat illa: quum
Ecce de integro, legionibus sub-

STROPH. IIX.

-nixus Threicijs, Danubii
Tranans ripam, aderat fe-
-rox Turca; eundem vindice persequens
Nisovium dextra; Scythisque iungere
Socia agmina ardens. sic iubet
Conserta sævo fœdere relligio.
Nos interim ad vexilla Christi,
Ambitu improbo, atque fœda
Discordia, sanctum amorem
Obliviscimur; & rui-
-mus vulnera efferati
In mutua, hostile ad ludibrium.

ANTISTRO. IIX.

Dii? quæ tum facies? quæ misera
Concursatio? quæ con-
-clamata, planctu funditus ultimo,
Rerum omnium fortuna? ripa qualis in
Patente, Nili impervii,
Dracone ab immani, horrida flammivomûm
Stringente ricta dentium, pren-
-sus viator; non fugæ, non
Pugnæ potens; ultimo pal-
-lore, huc ambiguum pedem,
Atque huc rapit; sui impos;
Gulaque iam se se ima haustum autumat.

EPOD. IIX.

Summo sic tum etiam sanguine progeni-
-tos vidi ego duces, ple-
-be cum vaga promiscuos,
Fauce iam clausos velut hostis, anhe-
-lantes, manumque languidam, modo huc, modo
Illuc proiicere, & spei
Relliquias trepidas
Vix consovere; cum querella
Caduca, & imbelli sono;
Fessaque addictos prope colla, vinclo

STROPH: IX.

Jam iam Barbarico. haut nempe aliter
Pax infracta solet, per-
-missumque pectus desidiæ, meli-
-orumque obaudiens, suos nutricios,
Producere ad fati aspera.
Torpentum inepte, o Magne Samosciada,
Respublica haut eget virorum;
Altiora viribus sed

Qui

Qui audere poffint, patique.
Ten' dicam domitum quoque
Metu? aut paraffe robur,
Ex perdita fpe? quando huc advolan-

ANTISTRO IX.

-tem, iftas in regiones, rapido
Curfu, vidimus uni-
-cum. nulla mentis tum trepidæ tibi
In fronte mæfta ruga. teftis illa nox,
Vulgusque denfum. fed lea,
Vis fæva venantum, fobolem quoties
Illi relictam oppugnat, infan-
-tum accita imploratu acuto,
Vt fe rapit, vulnerum ut cu-
-ram contemnit, & obviam
Denfiffimis volat te-
-lorum ictibus, contra omnes, fola par.

EPOD. IX.

Sic te tum rapiebat furor igneus,
Audere pertinacem
Vnum. hinc ferox lingua; hinc mina-
-ces cruenta luce oculi. modo pos-
-cere arma, modo damnare fero credulas
Mentes; aut pavidis metum
Excutere; aft alios
Armare præfentes; & abfen-
-tum ftrenuam invocare opem;
Muniendis urbibus admonere

STROPH: X.

Intentos alios; linquere nil
Intactum, nec inaufum.
Redux videri continuo omnium
In membra priftinus vigor, geluque cor-

 -da

--da diſſoluta ſurgere.
Et iam pudoris, degeneres animos,
Virtus reſpirans arguebat.
Nemo non crepare ferrum;
Nemo manum, nemo nomen,
Non adſcribere militi-
-æ, ingentibusque graſſa-
-ri auſis, repulſam ad hoſtium impigram.

ANTIS. X.

Sic olim validis imbribus, aut
Dira grandine, late
Quaſſata campis, luxurians ſeges;
Soloque profligata tetricum in modum;
Solis ſubinde lucidam
Si vim ſuperne ſentiat, & radio
Caleſcat inſtaurata, mox ges-
-tit renidere, atque honorem
Priſcum reſurgit receptans;
Cœlique exilit in ſpaci-
-a, promicante culmo.
Leone duce, vel cervos ſumere

EPOD. X.

Fortem fas animum. quid iuvenum face-
-ret flos, refecta bello,
Lectiſſima ante corpora,
Agmen acri prægrediente viro?
Victorias cuius, recenſere affatim
Non uno inclyta nomine
Gloria ſuppeditat;
Victum uſpiam, virtus vetat fa-
-ri. hæret diei ſplendor il-
-lius, hærebitque oculo, diu de-

STRO-

STROPH. XI.

-mirantum populorum, in memori;
Quum te, iam ſat adulta
Belli moventem robora, propalam-
-que euntem in hoſtem, militum nimbi horridi,
Ferroque fulgentes cater-
-væ, hac adfremebant atque hac; ſonipesque rigi-
-di conſcius ſeſſoris, ardu-
-o pede increpare terram,
Et fræna proferre contra,
Fervebat volucrem gradum;
Spargens lupis cruentam
Spumam, & crebrum cervice fluctuans

ANTISTRO. II.

Sublimi; haud ſine naris rapido igne,
Palpebraque vibrata
Identidem. præ rumor it antevo-
-lans, ocior ventis, feros quaſſans metus;
Sequuntur, implentum æthera,
Grata remiſtæ lætitia lachrimæ,
Arasque circum fuſa vota.
Jam tum in arva noſtra ſe ſe im-
-ponebat hoſtis, gemente hu-
-mo ſub pondere; & oppida
Jactis vorabat igni-
-bus, acer impetu effuſiſſimo;

EPOD. XI.

Certaque, haut mora, ſpe præcipiens ſibi
Noſtrum omnium ruinam.
At nemo turpius cadit
Magno ab incepto; quam animo tumidus
Qui deſpicace, hoſtem ſibi proponit im-
-bellem; vimque opibus ſuis.

Arrogat

Arrogat omnigenam.
Spectaculum mi mentis an-
-te lumina, obverſatur huic par.
Ætheris latas quoties cavernas,

STROPH. XII.

Nimborum picei conduplicant
Montes, fætaque fulmi-
-nibus, creatrix horriſona imbrium,
Tonitrivoma it nubes; tenebrarum rotans
Agmen, facesque fulgurum
Miſcens crebras, perterricrepo fremitu;
Non illam ab alto nauta proſpe-
-ctat mari, terroris expers;
Non paſtor, aut cultor agri;
Turritis etiam urbibus
Late pavent, fugaque
Se quisque condit in tectas domos.

ANTIS. XII.

Si ſe ſe interea, ventipotens
Cœli e parte ſerenæ
Effundat, & contraria flamina
Opponat, infeſtiſſimus Boreas; retor-
-quet illico curſum atra nox;
In terga raptim præcipites tenebræ
Sidunt, volant hac fragmina atque hac
Nubium; molesque nimbo-
-rum cuncta, inanes per auras
Vaneſcit lacero agmine.
Sic, poſtquam inaudiit nos-
-tros promoveri contra exercitus;

EPOD. XII.

Ille irarum opulens, ille ferox minis,
Retro gradum repreſſit;

Senſim-

Senſimque ſedes ſubtrahens
Se in ſuas, diſparuit; immodicus,
Et inchoandæ, & deferendæ æque ſpei.
Aſpris cautibus, o lyra,
Fœne ratem creperam
Afflximus. vita vadum
Iactantiæ; neu gloriam ſe-
-ſtare, falſis laudibus impeditam;

STROPH. XIII.

Ex vero cape. quis credat enim?
Europæ, atque Aſiæ, oppres-
-ſorem Tyrannum; qui domito ſuper
Se ſe orbe, late oſtentat, horror omnium:
Cui nervus infinitus, ad
Patranda bella, olim ſuperat; medita-
-tum in nos furorem dum exerit, mo-
-lemque maximam profundit
Exerciti; noſtram, ad arma,
Haut iuſto numero parem,
Raptim manum coactam,
Exhorruiſſe, & verſum iſſe in fugam.

ANTISTRO: XIII.

Livor me aſpicit obliquo oculo.
Audacem tamen aſſe-
-quar veritatem; qua via ſecta ſe-
-mel, inclytum vocat pedem. ſi virium
Contentio, luctamve, con-
-flictumve pugnæ, provocet ad ſpecimen
Robuſtitatis æmulandum:
Qui periclo ſe ſe arenæ
Committere auſit, vel ipſum
Contra centimanum Gygem,

Certator

Certator unus e mul-
-tis, repperiri non ægre ſolet.

EPOD. XIII.

Natura ingenerans corporibus ſiqui-
-dem, robur affatim affin-
-git; eſtque vir virum ſupra;
Et minor magnum facile aggreditur.
Aſt mentis ad certamen, & vices eas,
Quæ clarant hominem mere,
Fiſa ſibi egregia
Virtus, ubi proceſſit; at-
-que opes repertas maximarum
Artium, luce edidit in patenti:

STROPH. XIV.

Campo credere ſe, rarus amat.
Torpens dum prohibet cor,
Rudisque vitæ conſcia vilitas.
Nec fallere eſt animum, ſuas vires, ſeve-
-ram metientem ad regulam,
Senſu ſecreto pectoris admonitum.
Nec parte in hac, quisquam ſibi ſat
Vendicat; qui per diu ſu-
-datum laborem, ante multo,
Theſauros ſapientiæ,
Muſarum in officina,
Non reperit. ſpretæ ſed in iuven-

ANTISTRO. XIV.

-ta illæ, poſt ſenii ſtultitias
Produnt, attenuantque
Cordis minores. porro, alacrem indolem,
Sublime ſuſceptam, ſecundis promovent
Alis, & ad iubar ſuum,
Cœlo refictа conſolidant acie:

Pars,

Pars, quicquid accretæ uſpiam extat
Labis, emundare, copi-
-amque artium affundere omnem;
Pectus, pars, adamantina
Munire firmitate,
Prægeſtientes. donec ad ſacrum

EPOD. XIV.

Limen, cunctipotentis, labor arduus,
Prudentiæ penetret.
Hæc omnium, regina la-
-te vigens rerum, premit imperio,
Frænatque vitas ancipes mortalium.
Inſanum mare navita
Hac duce ſollicitat,
Sævisque tempeſtatibus
Illudit audax: hac domorum
Suſtinentur culmina non caduca,

STROPH. XV.

Statque innoxia rite urbica res,
Regnorumque ſalus vi-
-get: huius adnixa auxiliis, bea-
-ta pax, ſerena fundit ævi germina,
Pangitque manſuram fidem:
Hæc bella nutu temperat indomito:
Hanc perfidi pavent Tyranni:
Hoſtis, hanc in hoſte, cumpri-
-mis horret, altosque ponit
Luxato impete ſpiritus;
Vtcunque maior armis,
Cæca ſed ambage imperitiæ,

ANTISTRO: XV.

Informique anima, deterior.
Dum flagrat medio axe

Sol, vadat is purum inficias diem;
Qui, te Zamofci, fummitates omnium
Tenere fplendorum, erudi-
-tæ mentis, effrons perneget; aut fapiens
Pectus tuum, magno orbe terræ,
Luce non clarere aperta,
Contendat. hinc nempe certum eft;
Formidabilis ut vide-
-are, & tuos pati vul-
-tus, barbaro hofti, promptum non fue-

EPOD. XV.

-rit; quin fe volucri, protinus ad loca
Semota, itu referret;
Vltroque, fpectatæ tuæ,
Cederet virtuti, animis levior.
Nil abnegatum pervicaci induftriæ eft.
Primos, is tamen occupat,
Laudum apices; varia
Qui poft laborum munia,
Manum fatigatam, in finu Di-
-vum locat, gratumque decus reponit,

STROPH. XVI.

Cuncta autoribus illis tribuens.
Nec te iftam, pietatem,
Fas linquere: etfi fupra hominem fapis,
Cœleftium minor, colens proiectam humum.
Cupido me dia abripit;
Affufus aris, flexanimes cytharæ
Modos, ut ad vota exigam. quid
Eft? quid apprecans mage optem?
Pacemne, an arma? o fupreme
Regnorum, atque hominum fator,

Clemen-

Clementius boni quo
Nil ſentiunt, idem acer criminum

ANTISTRO. XVI.

Vltor; ſupplicio ſi ſcelerum,
Hanc, imo ex phlegetonte,
In nos retorſiſti Furiam Sara-
-cenam, parasque perdere in nexum datos:
Ceu regna Graium, & Pannonas,
Nilumque ſacro conſpicuum ubere agri;
Placatus abſiſte, & quietem
Redde, ut ut perire prome-
-ritis. datum ſin' nimis pœ-
-narum eſt, & tua te, Pater
Opprobria, atque honorum
Strages tuorum tangit, belluam-

EPOD. XVI.

-que hanc, ſtat tollere, nosque auſpicium dare
Felicibus iubes or-
-ſis: non ego externer cruo-
-rem tuens fuſum, nec amorem habeam
Imbellis ævi. ſed rigens ferrum, & iuven-
-tus, crudelibus effera
Mî placeat ſtudiis
Nec abnuam, cadaverum,
Referre pacem CHRISTIANAM
Priſtinam, magnis cumulis redemptam.

Jeſu Chriſto, laus, & Gratia.

IMAGINES
DIAETAE ZAMOSCIANAE

Illustrissimo Principi

IOANNI DUCI
IN OSTROG
CASTELLANO CRACOVIENSI.

ANDREAS SREDZINIUS S. D.

PRo *ea familiaritate, quæ mihi quotidiana est cum Simone Simonida, forte scidas eius una revolebamus; in quibus reperimus Elegiam quandam titulum Imaginum Diætæ Zamoscianæ præferentem: quam cum avidius relegerem, causamque & tituli & carminis ab eo perquirerem. Optimi dierum, inquit, est hoc ἀνάθημα; atque adeo ætatem iam habet: ante decennium enim scripta est. Cum Barbaram Tarnoviam nuptam novam Heroi nostro parentes domum deducerent, atque ille incredibili festivitate soceros exciperet, imaginibus istis diætam in qua convivium apparabatur adornandam iusserat; ubi etiamnum celeberrimo spectaculo visuntur: eas tum carmine illustrare voluptas mihi fuit. Enimvero ita, inquam, sciebam, festivitatis illius hæc fuisse ornamenta. de carmine tuo nonnihil inaudieram; & laudari, causamque a nonnullis adferri, cur iam tum editum non fuisset, memineram: nempe ista, quæ ex occasione de consiliis belli Turcici, a Sixto V. Pontifice Maximo cum Stephano Rege Poloniæ agitatis, adspersa sunt, ne invi-*

invidiosa apud vulgus illis temporibus forent, quibus post defunctos illos Heroas, societas belli Turcici, sæpius a nostris tentata, non coaluit. Nunc postquam dies iuditia hominum composuit, triconum ex numero, aut negligens nominis tui fueris, si fœtui huic lucem negaveris. Quum non renuisset, cupido me incessit Elegiam ipsam in publicum dare: idque duplici ex causa. primum, ut tam bello carmini vitam redderem: deinde, ut in memoriam apud præsens sæculum revocarem, quanti momenti res a summis principibus instituta tum fuerit: si forte exemplo aut incitamento esse possit iis, qui nunc ad clavum sedent. Porro apud te illustrissime Dux, deponendam putavi, non ingrato, quantum spero, munere; quum avorum tuorum Paterni atque Materni laudes contineat; quorum divinissimam stirpem ut familia vestra immortalibus sæculis propaget, pro bono publico, etiam atque etiam cupio. Zamoscii. Calen. Iulii. Anno M. DC. IV.

IMAGINES



IMAGINES
DIÆTÆ ZAMOSCIANÆ

FEsta Zamosciades celebrat convivia Princeps,
  Et renovat magnæ munera lætitiæ.
Qualia par soceris generum renovare vocatis,
  Acceptæ lautum coniugis hospitio.
Dicite Pierides, neque enim vos defore vestro
  Heroi blandis addecet officiis,
Dicite, qua pompa, quo vos sistetis honore,
  Quo cultu vester gestiet ire lepor?
Non ego vos credo, quæ pulchra modestia vestra est,
  Inter convivas velle sedere viros.
Qua proceres, qua lectus eques, qua flos sedet omnis
  Regni, quo nullum Sol videt eximius.
Non epulis duci vestrum est, non pocula plena
  Siccare, aut mensæ quærere luxurias.
Non choreis, quanquam choreis Helicona soletis
  Lustrare, hic operam insumere censuerim.
Talia Sarmatides melius ludicra puellæ
  Præstiterint, longo syrmate Sarmatides.
Scilicet appensam ex humeris cytaramque lyramque
  Sit potius vobis, aptaque plectra fidi.
Ni, quod forte manu quoties tractastis eburnam
  Aut cytharam, aut curvæ grandia fila lyræ,
Magna Zamosciadæ queis nomina iactarentur,
  Nomina cœlorum proxima culminibus.
Semper se obtulerint Mavortia gesta canenda.
  Et quæ magna Heros præstitit arte togæ.

Vt leve

Vt leve ſit munus molles reſonare Hymenæos;
  Dum maiora vocant, pæne minora tacent.
Non tamen immunes, non mutas eſſe Camænas,
  Nec ſtando ſtudium perdere velle decet.
Nec vero Heroum ſunt maxima ſeria ſola.
  In mediis ſplendent, ſeria multa, iocis.
At vos vel paries iam fecerit iſte diſertas.
  Inclyta qui paries picta habet ora virum.
Queis exornari noſter ſua gaudia Princeps
  Quæſivit, cauſa non ſapiente ſine.
Huc oculos adhibete Deæ, huc deflectite carmen.
  Non procul a pictis carmen imaginibus.
Sic ego, ſic Divæ blanda ſunt voce ſecutæ.
  Et digitum Clio verterat ad tabulas.
Hæc quæcunque vides ſignata coloribus ora,
  Vultibus e vivis tranſtulit apta manus.
Atque illi Divûm numernm iam ſedibus augent
  Æthereis, vitæ poſt pia fata ſuæ.
Noſter at his ſoceris gaudet lætiſſimus Heros.
  Affines virtus quos ſibi vera dedit.
Hic qui ſubducto vultu, qui fronte ſevera,
  Vivacique oculo, canicieque brevi,
Imminet auratis foribus, laquearia ſubter,
  Conſpicuus veſtis ſimplicitate ſuæ,
Hic ille eſt ingens Tarnovius, ille vel Indis
  Cognitus, armigeræ munere militiæ.
Mox gelidos Marte indomito pulſare Triones,
  Seu ſolitus Moſchum, ſeu ſolitusve Scytham.
Atque Gethem, innumeris quamvis Gethes ibat in armis.
  Parva manus tamen hos fuderat innumeros.
Teſtes albentes conſtratis oſſibus agri.
  Teſtis Obertini ſangvine pingvis humus.

Artis

Artis opus fuit hoc, Ducis & ſolertia ſumma.
  Ars facile immenſis viribus ora domat.
Nec minus ille domi, ſi quando læta vocabant
  Munia, paxque rotis fulſerat in niveis,
Conſiliisque opulens, rerumque graviſſimus auctor,
  Et iuris cautus fræna tenere manu.
Ad noſtros idem facilis ſe flectere luſus.
  Illius hic primis crevimus auſpiciis.
Barbariemque eluctatæ, cæcasque tenebras,
  Vidimus hic noſtros molliter ire pedes.
Hoc patruo magno neptis nunc pulchra ſuperbit.
  Quæ modo pulchra bono nupta Zamoſciadæ eſt.
O Pater, o lux ſola domus, o gloria prima.
  Te, nomenque tuum, fama perennis habet.
Invida ſed longam ſtirpem tibi fata negarunt.
  Nam ſervavit opes filia ſola tuas.
Non tamen inferiore loco fortuna recepit
  Se tua, nec titulis deteriore tuis.
Oſtroviis Ducibus, Ducibus queis Ruſſia avitis
  Aſſurgit, cæptis uſque ab originibus ;
Filia connubii poſtquam conceſſit honore,
  Tranſtulit ad generos remque domumque tuam.
Quare haud immerito, vel cum iam lumine functus,
  Depicta tacitus cerneris in tabula,
Cernitur Oſtrovius iunctus tibi maximus Heros,
  Olim coniunctus militiæ ſtudiis.
Conſtantine ſenex, tetrico te noſcere vultu,
  Et datur hac multo crine comante gena.
Tu Moſchum frænare ferox, tu vertere turmas,
  Doctus & hoſtili ſternere cæde ſolum.
Millia quot celſam profligas victor ad Orſam,
  Militis haud ullo vulnere parte tui.

Quot

Quot vertisque acies, rapidoque in flumine mersas.
  Quot captiva trahis colla prehensa Ducum.
Scilicet ante tuum nullo superabile bello
  Magnanimum robur senserat ante Scythes.
Non bellare Scythes, non campo credere aperto,
  Sed raptu, & volucri fidere suetus equo.
Tunc numero fretus, campestribus arduus arvis,
  Olsanicza vago qua trepidat fluvio,
Explicuit Mavorti aciem, pugnamque petivit.
  Sed cito quam explicuit, tam cito damna tulit.
Exuperat res gesta fidem, numerusque cadentum.
  Cum tamen e nostris vix manus ulla cadit.
Fortunate senex, cui se Tarnovia iunxit
  Et domus & virtus, & bona spes generis.
Nunc super usque novis surge auctior incrementis.
  Tarnoviis iuncta gente Zamosciada.
Cuius vel summo virtus se exæquat Olympo,
  Et splendor toto nominis orbe volat.
At sibi iam facies Stephani augustissima visum
  Avocat, o magni Regis imago mei!
O quam dulce tuis saturari obtutibus, o quam
  Os oculosque tuos cernere pervolupe est,
Et maiestatem revereri, & figere mentem,
  Et dium ex vultu nescio quid capere.
Sed tua facta modis tenuare ingentia parvis
  Dedecet, aut curtis laudibus atterere.
Olim alias pleno liceat te dicere versu,
  Inque tuum nomen libera vela dare.
Nunc sat erit, quanto tu semper promptus amore
  Heroem in nostrum, quamque benignus eras.
Maxima virtutem eximiam cognoscere laus est.
  Nec minor, inventam surgere velle pati.

 Virtuti

Virtuti innixi pollentum ſæpe virorum
Vsque polo Reges inſeruere caput.
Ergo tuo emicuit ſplendore Zamoſcius Heros.
Nec minor ex illo lux tibi nempe data.
Hunc opibus, hunc tu titulis, & honoribus ornas,
Hunc dono magni denique coniugii.
Affini ut ſe ſe tanto iactaret amico.
Nam virtus ſocero vel Jove digna ſatis.
Sed cita mors & te nobis, & poſt tua carpſit
Heu nimium viduo dona Zamoſciadæ.
Ille tui careat licet, & te cælica regna
Diſtineant, cura non caret ille tui.
Quin memori cultu, & merito te iuſtus honore
Proſequitur, quod eum magna iubet pietas.
Et tua ſeu duris ſeu rebus numina lætis
Rite adhibet, grato ſedulus officio.
Salve o virtutum exemplar, decus addite Divis,
Gloria regnantum maxima, ſummus apex.
Sis felix, tibi perpetua ſe mente dicavit,
Æternum immota mente Zamoſciades.
Quis vero hic mitra inſignis, pallaque rubenti,
Purpureus capitis tegmine pone ſui?
Frontis honore aſper, noſtri non ſangvinis eſſe,
Nec bellatorum de genere arguerim,
Pontificum potius, queis aurea Roma ſuperbit.
Roma orbis victrix, Roma polo imperitans.
Ite humiles genibus, terræque adſternite frontem,
Et pedibus ſacris oſcula prona date.
Hic ille eſt Quinti celeber cognomine Sixtus,
Incorrupti ingens præſidiis animi.
Quo rigida invicto conſtantia gaudet alumno,
Approbat & ſolidi roboris imperium.

Non

Non ſolitus curis tricari quippe minutis,
  Nec levia excelſo volvere conſilio.
Sed mente immenſas orbis complexus habenas,
  Scilicet immenſi Paſtor ut orbis erat.
Quo pax tuta foret, quo Chriſti gloria ſarta,
  Barbarus atque hoſtis deſineret furere,
Hoc ſtudium pernox, hoc pervigil ille gerebat.
  Hanc unam ardenti corde coquebat opem.
In te Turca fremens, in te tota igneus ira,
  Perpetuus in te viribus ire parans.
Ergo queis primis conſtat res bellica nervis,
  Innumeras ſolers accumularat opes,
Defraudans geniumque ſuum, parcusque fruendi.
  Sed conſervandi divitior ſtudiis.
Nec levior magnos quæſita effundere in uſus,
  Et bene parta bono promere iudicio.
Nam quo divitiæ? quo gazæ ſtructus acervus?
  Vti congeſtis ni ſciat ars melior.
Hac homo cumprimis divinæ particulam auræ
  Arte probat, iuſto examine munificus.
Cautior hanc itidem poſtquam circumſpicit ille.
  Nutanti mundo qua ferat auxilium.
Ecce videt Stephanum belli tum laude vigentem,
  Inconcuſſum animi, Diis pietate parem.
Cuius vel totus ſceptro bene ceſſerit orbis,
  Omnia qui immotus pondera ſuſtineat.
Tum Stephanus Moſchum quatiebat Marte cruento.
  Livonum repetens debita regna ſibi.
Victor & Arctoo figebat in orbe trophæa,
  Ad Tanaim ſævos propter Hyperboreas.
Gaviſus reperiſſe virum, totoque profuſus
  Erga illum ſtudio, menteque tota animi.

Illius in gremiis posuit sua maxima vota.
  Qualis sese auri gemma locat gremio.
Nec mora thesauros dites, tot structa talenta,
  Pollicitis offert irrevocabilibus.
Et mandat Moschum porro expugnare ferocem.
  Barbaraque appresso colla domare iugo.
Hinc Deus & melior si sic fortuna tulisset,
  Nostrum ut venisses Mosche sub imperium.
Auctior & populis, & plenis viribus ingens,
  Concuteret Turcas, concuteretque Scytham.
Ipsosque arriperet belli ad commercia Persas,
  Communis quos Mars ad socia arma vocat.
Et iam consiliis trepidabat Moschica tellus,
  Seque Asiæ nobis subdita regna dabant.
Nec te iam tuleras Turca importune superbum,
  Nec fastu urgebas bella nefanda tuo.
Cum tu o sola salus, columenque o maxime rerum,
  Vnica spes Sixti, atque unica Christiadum,
Subtrahis e mundo te, & lumina morte relinquis.
  Et perimis tecum tot bona cœpta simul.
Ipse etiam Sixtus propera te morte secutus.
  Cum tibi non posset iam reperire parem.
Innumeras quamvis mortalia sæcla propages,
  Magnorum & iactent nomina multa virum.
Vnus homo tamen egregiam sæpe instituit rem.
  Et sæpe amotus destruit unus homo.
Nunc tu Sixte pater, Stephano cum rege beato,
  Æterna æternum vesceris ambrosia.
Lætus consiliis communibus, aurea mulcens
  Corda ollis, in queis vel voluisse sat est.
Nos mœsti & trepidi, & deiecti culmine tanto,
  Dum venti magnas spes male dilacerant,

Ad vestra

Ad vestra ardentes heu nomina suspiramus.
Anne ferant tales sæcla futura alios.
An veniat quisquam vestigia vestra secutus.
Curet qui obscœnum tollere servitium.
Quod sensim irrepit, tacitaque ambage propinquat,
Imbelles habili compede collaqueans.
Ceu leporem pavido pacatum corde parumper;
Virgulti subter tegmine somnus iners
Dum recreat, procul amota latrante canum vi,
Securum infidæ pacis in insidiis,
Callidus inventum plantæ per signa trisulcæ
Venator, positis retibus involuit.
O magnæ, o divinæ animæ, o sanctissima corda,
O genus Heroum, o unicus orbis amor.
Vos iuvat æterno, vos carmine compellare.
Vos fama sedes tollere ad æthereas.
Præcipue vos hic pietate Zamoscius aurea
Percolit, æternum & percoluisse volet.
Et cum non liceat spirantes cernere coram,
Absentum sese pascit ad effigies.
Vsque animo recolens, quantis tum conscius ausis,
Qua socius laudum parte futurus erat.
Olim ceu sonipes animosa ad prælia natus,
Asuetus sonitus acris amare tubæ,
Arduus oppositas saltu turbare phalanges,
Hostem dente audax & pede deiicere,
Tum stabulo inclusus lente ad præsepia pigra,
Captivo capiti dura capistra gerens,
Si phaleras, si fræna ferox splendentia sensit,
Audiit aut veteris murmura rauca tubæ.
Rectam aurem figit, totosque assurgit in artus,
Lentamque in stabili calce retundit humum,

Illustri

Illuſtri cupidus magnum ſe ferre triumpho,
  Hoſtibus aut mediis vulnera ſæva dare.
Fruſtra nam cupidum retinacula ferrea ſtringunt,
  Et vinclum audaci non ſinit ire via.
Sed quo provehimur pulchro ſermonis amore?
  Talia non iſtis conveniunt numeris.
Hæc alias olim cum ſuaſerit aptior hora.
  Impleritque manum maſcula rite chelis.
Jam menſæ amotæ, iam regnant libera vina,
  Jam iuvenes quærunt ſurgere poſſe toris.
Et quærunt contra conſurgere blanda puellæ
  Turba, arrecta quibus mens volat in choreis.
Muſica iamque mele ſonuit clariſſima ſigna,
  Sponte ſua argutum pes micat in numerum.
Cedamus ſpaciis, morem hunc convivia ſervant,
  Attentosque demus luſibus uſque oculos.

HERCULES

HERCULES
PRODICEUS

AD

THOMAM ZAMOSCIUM

MAGNI IOANNIS F.

ZAMOSCI
Martinus Lenſcius Academ. Typogr: excudebat.
M. DC. II.

PETRUS CIEKLINIUS
THOMÆ ZAMOSCIO
S. D.

EXcessisse *te ab incunabulis, & bonarum disciplinarum doctoribus traditum esse, magna cum voluptate audivi. diem enim hunc, quo id ingressus es, non minus salutarem tibi existimo, quam natalem ipsum. is enim efficiet, ut vitam quam a natura accepisti, cum honestate transigas: sine qua, nec illa vitalis est, & hominem a pecude vix discernit. Gratulari tibi multis, fortuna tua in excelso posita, & patris tui summa de te cura, non permittit: mihi ut gratuler, atque adeo gaudeam, ob animum meum vobis devotissimum plane debeo. siquidem DEUS ea felicitate me compotivit, ut tuam divinam indolem, tanto patri succrescentem videam. Ex more clientum aliquid usurpavero, qui natales patronorum munusculis solebant exornare: itidem ut natalem hunc tuum litterarium, munere litterario celebrem habeam, Atque eius ergo adfero ad te, clientis familiæ vestræ, Simonis Simonidæ, carmen tibi scriptum. cohortatiunculæ est nonnihil. imo ista ipsa sunt, quæ tibi nunc ex Xenophonte de Hercule traduntur latinis numeris inclusa: si forte Græcæ linguæ primordia molestiam tibi pariant, ut istis Musarum scitamentis detergas. Ea est modestia Simonides, aut potius ita est rerum suarum parcus promus, ut vix sperem, ista unquam ab illo tibi oblatum iri. in manus meas postquam devenere, nolui committere, ut tam bello carmine diutius careres. Addidi præterea aliud alterius notæ, quod duos ante annos ad te scriptum, scio nondum tibi exhibitum esse. * Ætatulæ tua fortunam vide, quæ prope in cunis præconem laudum invenit. Frustrari de te expectationem omnium mortalium non debes. Bene vale. Ex prædio vestro Zamchano Kal. Octob. Anno M DC II.*

* Ode præcedens pag. 77.

HERCULES

HERCULES
PRODICEUS

AD

THOMAM ZAMOSCIUM

MAGNI JOANNIS F.

ALcidem mihi Musa refer, non quantus in Hydram,
  Non quantusque ierat sternere Geryonem.
Sed qualis modo decursis puerilibus annis,
  Ætatis primo in limine constiterat.
Jmberbes quando iuvenes, custode remoto,
  Jam propriis gaudent se regere imperiis.
Inque viam vitæ cursu nituntur anhelo,
  Atque sui præbent non dubium indicium.
Ardua virtutis num se in penetralia mittant.
  Num fluxo in vitium se impete præcipitent.
Ergo ancepsque sui, trepidusque errore iuventæ,
  Desertis solus sederat usque locis.
Multa putans animo, multum ratione vagatus.
  Virtutis ne alta poneret arce gradum.
An vaga multiplici qua se via tramite fundit,
  Vaderet ignavas carpere delicias.
Inque voluptatum miseris se mergeret undis.
  Qua rapidus vortex pectora lenta vorat.
Hæc alternanti, dubiaque in mente frementi,
  Apparent geminæ, numina magna, Deæ.
Ire simul, visæque pari vestigia gressu
  Proferre, & iam iam non nimis esse procul.
Altera nativo formæ præsignis honore,
  Et vultu, & toto libera sponte animo.

Mundiciem membris referens, oculisque pudorem.
  In caſtigatis conſpicienda bonis.
Finxerat & placidos pacata modeſtia geſtus.
  Fluxerat inque imum candida palla pedem.
Aſt aliam tenera nutriverat arte ſagina,
  Lacteaque in toto corpore mollicies.
Quæſitusque ori color, & pigmenta reperta.
  Nec facies conſtans, nec lepor ingenuus.
Sed fallaxque nimis candor, fallaxque nitebat
  In ceruſatis purpura fuſa genis.
Membrorumque modus ſurgens procerior æquo.
  Inceſſusque fluens, perſpicuumque latus.
Aſt oculi nunc huc volucres nunc protinus illuc.
  Et veſtis nudis facta Cupidinibus.
Quæ mage laſcivæ radiaret lumina formæ:
  Et transparentes nequitias faceret.
Tum ſe ſollicito luſtrabat ſedula viſu.
  Ornatusque ibat cernere ſæpe ſuos.
Inque alios limis aciem vertebat ocellis.
  Ecquis in illam avidus lumina coniiceret.
Non raro affixam pone aſpectabat ad umbram.
  Se ſe perpendens illius ad modulos.
Poſtquam proſpectum iuvenis venere ſub ipſum.
  Proximiorque loci conſtitit eſſe via.
Non celerare gradum, non immutare tenorem
  Diva prior, ſtudio nec trepidare avido.
Evolat interea, & gradientem præterit illam
  Altera, ſermonisque occupat officium.
Atque ait. o iuvenum fortunatiſſime, fruſtra
  Fruſtra animum curis conficis ipſe tuum.
Fruſtra ſuſpenſam crucias formidine mentem.
  Non opus eſt vobis conſilio ambiguo.

Nec

Nec tibi sollicitæ quærenda est orbita vitæ.
Nec labor instandus, nec via dura nimis.
Me tibi si sociam, tibi me si sumis amicam.
Ipsa dabo cursus, ipsa regamque pedes.
Ipsa ego deducam te inter lætissima tempe,
Inter delicias luxuriemque loci.
Quicquid iucundum, quicquid formosius usquam est,
Non pergustatum nil tibi prætereat.
Ast quicquid durum, quicquid rigidumque ferumque.
Immunem te horum degere constituam.
Principio tibi bellorum non ingruet horror.
Non adimet somni munera rauca tuba.
Non rerum nimio pressabit pondere moles.
Nil tibi cum curis, nil tibi cum strepitu.
Vnica sola tibi tantum dulcissima cura.
Vt lætus læto cuncta feras genio.
Obsoni sive insignis se proferet usquam
Gloria, prompta gulæ serviet illa tuæ.
Pocula seu blandum crescent superantia nectar.
His cupies mensas exhilarare tuas.
Nec solum inventis utebere, lautior ipse
Invenies, quæ te sumere non pigeat.
Quæque oculos satiare solent, quæque ire per aures.
Quisquis odor narem svavius insinuat.
Gaudia quæque manum tangunt, quæque omnibus hærent
Membris, pervolitat quisquis ubique lepor.
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.
Sic tu decerps omnia grata animo.
Te sibi formosæ cupient prensare puellæ.
Perfacilem te illis tu quoque nempe dabis.
Te sibi tuta quies, gremio te somnus amico,
Te pluma molli gestiet accipere.

Atque ea ne multo veniant tibi parta labore
  Devita, hoc unum ſtrenuus advigilans.
Nec tibi convellat mentem malus angor habendi.
  Nec quæras, unde hæc ſuppeditare queant.
Non metus, haud ullo poteris tu tempore egere.
  Nec miſeras ſudans accumulabis opes.
Non mare tentabis ratibus, non vomere terram
  Scindes, non feſſus corpore, non animo.
Sed quæ alii ſine fine parant, ſine fine recondunt.
  Hæc tua ſunt, his tu iure fruare bonis.
Nil ſacrum iubeo eſſe tibi, nihil eſſe profanum.
  Quoslibet apta manus convolet in loculos.
Et quocunque penu ſpes fulſerit alma lucelli.
  Hanc rape non tardus, cætera lentus age.
Namque meos iſta devinxi lege ſodales.
  Quod libitum cuiquam eſt, ut liceatque ſimul.
Liberaque omnigeni permiſſa licentia quæſtus.
  Vtile ſit tantum, turpe nefasque nihil.
Talia dicentem iamdudum obtutibus Heros
  Adverſis, tacito & lumine pervolitat.
Tandem pauca rogat. quo te Dea ſemine cretam
  Eſſe rear! famam nominis ede tui.
Illa ſub hæc, paullum verbis & mente morata.
  O iuvenis, non mi nominis unus honos.
Ex animo me quisque ſuo fingitque vocatque.
  Sum bona, ſum felix, ſum mala, ſum miſera.
Felicem dicunt ſocii, dicuntque beatam.
  Et præſens numen me mea turba colit.
Infelicem alii dicunt, dicuntque malignam.
  His petor ex odio ſcilicet opprobriis.
Quisquis amicus erit, gnavam laudatque probatque.
  Deminuit famam, quisquis acerbus erit.

His

His intervenit dictis tandem altera Diva.
  Et tales leni protulit ore sonos.
Alcida generose, etenim iam nomen, & ingens
  Fama tua, in nostris auribus increbuit.
Det veniam, quæcunque prior properavit adire.
  Sermoni nostro det facilemque locum.
Et nobis studium esse tui curamque putato.
  Et te conventum me bona causa monet.
Ipsa ego te novi, quo sis genitore profectus.
  Novi ego, queis ævum duxeris in studiis.
Ingeniique tui patuit mihi libera vena.
  Quamque geras mentem, quosque geras animos.
Hinc spes constantes, hinc mi fiducia de te.
  Hinc de te noctes maceror atque dies.
Si te forte meis socium secessibus addas.
  Seu dux ire viæ, seu velis ire comes.
Te fore, qui magnum factis ingentibus orbem,
  Te fore, qui cœlum, qui maria exuperes.
Nec tibi gestorum cumulo certaverit alter.
  Seu tractes pacem, seu fera bella geras.
Ipsa ego te propter longe sublimior ibo.
  Audeboque astris ferre caput propius.
Cœtibus inque virum maior mea gloria surget.
  Tum Divam me omnes, tum Dominamque ferent
Nec te blandiloquis ductabo garrula verbis.
  Nec dabo suadendi mollia principia.
Quam vitam Deus, & simplex natura paravit,
  Quam legem rebus, quam faciem imposuit.
Hanc referam, & dempta caligine singula promam.
  Singula nuda tibi, singula vera tibi.
Omnia quæ toto visuntur commoda mundo.
  Quicquid honestum usquam, quicquid ubique bonum.

Nil

Nil venit invicto mortalibus absque labore.
    Cuncta labore cati dantque locantque Dii.
Sudandum, contendendum, cura alta voranda.
    His veniunt magnis dona operæ preciis.
Seu cupies superum tibi delenire favorem.
    Cura erit, ut superós cum pietate colas.
Vivere seu caris quæres iucundus amicis.
    Candida ab officiis crescit amicitia.
Sive voles, ut te populi venerentur & urbes.
    Vrbibus & populis commodus esse velis.
Seu posces, quem mox patria admiretur & Hellas.
    Claris in patriam promeritis vigeas.
Frugibus ut tellus, pecore ut sint pascua læta.
    Curandum pecus est, estque colendus ager.
Si tibi bellorum veniat non parva cupido.
    Cives ut serves, hostibus ut noceas.
Durum Martis opus, multa impendenda magistris
    Militiæ cura est, multa ferenda animo.
Magnæ artes ediscendæ, nec mitior usus.
    Vsu artes constant, usus ab arte venit.
Corporis & vires valido firmantur ab usu.
    Præsto ut sint rigidæ mentis ad obsequium.
Et simul algorem, simul & perferre calorem
    Sint dociles, labor & quicquid anhelus amat.
Non tulit hortantem impatiens Diva improba plura.
    Atque interpellans fervida verba dedit.
O puer, o teneræ florem modo nacte iuventæ.
    Sentis, quo sermo te iste protervus agat!
Saxa inter prærupta, interque horrentia tesqua.
    Quo pes, quo nunquam semita pressa solo.
Non ulla apparent positæ vestigia plantæ.
    Tota remota via est, aspera tota via est.

Talia

Talia vix vita constant solatia vitæ.
  Carpenda illa brevis, neve terenda nimis.
Quid iuvat insano tantum indulgere labori?
  Quod quæras brevius, quodque habeas melius.
Vivas dum vivis, reseces spem, diffluit ætas.
  Sis lætus paucis. me duce lætus eris.
Me duce pacata incedes regione viarum.
  Me duce fortunæ te in gremium referes.
Tum virtus. o te miseram, nimiumque supinam.
  O falsis lusam semper imaginibus.
Tu ne boni quicquam, aut læti, quicquamve venusti,
  Tun' habeas, possis dicere quod volupe?
Cum te omnis fugiat solertia, cum tibi pensi
  Sit nihil, & minimum vix moveas digitum.
Ipsa etiam se gaudet emi sudore voluptas.
  Ipsa etiam curis pascitur & studiis.
Quam tu nec voto, iustove cupidine captas.
  Nec desiderio das spatium usque suo.
Quin fartumque facis, plenoque abdomine turges.
  Et misera sensus ingluvie anticipas.
Mensa tibi ante famem, ante sitim carchesia plena.
  Et saturata voras, & temulenta bibis.
Vtque cibi surdum possint revocare palatum.
  Blandius & subeat gutturis esca moras.
Omnia vexantur late fora, turba cocorum
  Pervigilat, solum hoc ducitur artis opus.
Nec reperire merum levior labor, acrius illud,
  Mitius hoc, istud lene ciere sitim.
Scilicet hesternum ut fallant nova pocula Bacchum,
  Dum crudus lento nauseat in stomacho.
Quæritur æstivas si quis glaciesque nivesque
  Mons celat, si quo fonte rigescit aqua.

His

His tu prætepidos infringis nectaris ignes.
  Hic illex, ne sis sobria, sæpe monet.
Vtque suis somnus te suavius implicet alis.
  Quo non pulvillo, quove tapete cubas?
Lectulus exstruitur mollissimus, illius oram
  Vmbellæ, & circum nimbus opacat hians.
Ipsa etiam fulmenta parant lenire quietem.
  Et se sub strati margine subiiciunt.
His tu tormentis, requiem petis, hæc tibi somnum
  Et male tutantur, nec bene conciliant.
Defessis meritum donat natura soporem.
  Vt recreet vires, utque labore levet.
Non tibi causa huius tam seria, sed quia nulli
  Invigilas facto, nil agitasque rei.
Ignavæ ut fallas languentia tædia vitæ,
  Sæpius in somnum te sepelire cupis.
Quid Venerem laudem? Veneris tu præmia noris
  Invitam quam tu sollicitas temere.
Et petis incassum torpentia gaudia frustra.
  Nam vi, nam præcox, nam petis ante diem.
Nil hic profuerit Circæis artibus uti.
  Quæ moderata iuvant, immoderata nocent.
Quærere nec formas, oculos nec pascere inertes.
  Hic quoque languentem proiice desidiam.
Tune gubernatrix, tu sancta magistra iuventæ?
  Tu cui committi libera fræna queant!
Indefessa tuos quæ noctibus uris alumnos.
  Vris, & in quævis prostituis scelera.
Mox somno absumis potiorem lucis honorem.
  Et spolias vitam commodiore die.
Te Pater omnipotens Diis immortalibus unam
  Addiderat, cœlo tu quoque iura dabas.

Sed

Sed te idem Pater omnipotens eiecit Olympo.
Dixitque indignam moribus æthereis.
Nec cœtus celebrare hominum tibi tuta poteſtas.
Nec caput in populo vertere conſpicuum.
Te damnare ſenes, te ſpernere turba laborat.
Te vir, te mulier, quæ ſapit, improperat.
Laus tua purgatam nunquam tibi tranſiit aurem.
Vera laude nihil dulcius aure ſonat.
Non opere in proprio ſatiaſti lumina amica.
Nil oculis proprio pulchrius eſt opere.
Mendacem novere omnes, iurata vel olim
Affirmes, ſurdis dixeris auriculis.
Sive opis indigeas, & te mala damna fatigent.
Clamoſisque voces fletibus auxilium.
Nemo impertiri, nemo te tollere curet.
Deſtituant omnes, deſpiciantque palam.
Imprudens ſi forte aliquis tua iuſſa ſequatur.
Namque ſciens nemo ſe tibi dediderit.
Qui te, quique tuos mores pernoverit ante.
Nemo adeo præceps, nemo ſui hoſtis erit.
Tu iuvenum florem luſtris depaſta malignis,
Efficis, ut fracti tabida membra trahant.
Aut miſeri ante diem fato rapiantur acerbo.
Aut ſenii metas protinus inveniant.
Tum vanosque ſenes videas, deliraque corda,
Fundere tum cano ſtultitias capite.
Nam quid agant? quos convulſit felicior ætas.
Nec labor inſtruxit, nec bona mens aluit.
Ergo ſquallentes, feſſique, ignavius ævum
Nec bene componunt, nec bene conficiunt.
Ingeminat dolor, & labor, & fœdiſſima vita,
Et pudor intentat turpius opprobrium.

Quæ fecere horrent, & commeminiſſe verentur.
  Occurrunt vultu damna recepta truci.
Nec ſarcire malum licet, aut nova condere ſæcla.
  Serumque incipere eſt, & male cœpta gravant.
Quod gratum, quod lene fuit, florentibus annis
  Permiſſum, & vires futilis aura tulit.
Ætatem in tardam ſervata aſperrima rerum.
  Et gemit innumeris preſſa ſenecta malis.
Me ſi forte roges, quo me duce, quo lare tuter.
  Queis properem factis tempora conterere.
Principio me læta fovent conſortia Divûm.
  Mi cœli ſemper libera porta patet.
Et terras habitare datum, quacunque bonorum
  Floret honos, venio ſemper in ora virum.
Sive quis amſanctos ſuperum molitur honores.
  Me ſociam primis advocat auſpiciis.
Seu genus humanum factis illuſtribus ornat.
  Nil geſtum retur me ſine, quisquis agit.
Non eſt, quod mecum quiſquam contendat honore.
  Sive apud ille Deos, ſive apud ille homines.
Quo ſtudio me cunque ſibi quis poſcit amicam.
  Adſum, nec renuo fida miniſteria.
Me nocturna faber vigilans ad lumina quærit.
  Et melius mecum currere ſentit opus.
Me cuſtode domum, & ſanctos ſervante penates,
  Florentes natos educat ipſe pater.
Ipſa ego præſideo famulis, operasque repoſco.
  Ipſa repoſco operas ſedula, blanda tamen.
Aurea pax terras perfudit divite cornu.
  Pacis ego ſolers carpere divitias.
Mars venit, & pugnæ late ſonuere cruentæ.
  Nulla manus bello me prior anteeat.

Prima

Prima adſum ſocia arma ferens, me prima periclis
  Offero, certa ſimul vincere, certa mori.
Cana fides, niveique meo ſe corde receptant
  Senſus, ſola bonis lætor amicitiis.
Neu me nulla putes ſolatia cedere ventri.
  Accipe, quam menſæ dona beata meæ.
Non tentat quemquam noſtrum inclementior eſca.
  Nec variare cibos mica negotioli eſt.
Plebeiis fruimur, fruimur dulcedine ſumma.
  Latranti ſtomacho quidlibet eſt volupe.
Latrantem ſequimur ſtomachum, quod mella, quod omnes
  Lautitias vincit, vincit & artifices.
Suavius alma ſitis puris ſe invitat in undis.
  Quam veſtra in toto nectare luxuries.
Aſt ſuaſor ſomni nobis ſudorque laborque.
  O qualem vobis otia nulla dabunt.
Deſerat ille licet, ſero veniatque vocatus.
  Non nos ſollicitos lectulus aſper habet.
Vel veniat, ſolitaque artus aſpergine tangat.
  Interea occurrant quæ peragenda prius.
Non nobis abit invitis, queruloſque relinquit.
  Cedit ſponte locum, tempore deinde redit.
Laude ſenum navi iuvenes ſe creſcere gaudent.
  Spectarique volunt, deminuique timent.
Aſt ſanctos, meritisque graves, annisque verendos
  Juſtus honor iuvenum tollit in aſtra ſenes.
O quanta illorum perfundunt gaudia mentes.
  Dum memorant ævi fortia facta ſui.
Nec minus interea macti præſentibus orſis,
  Pertendunt ſenii vincere deſidiam.
Diis cari, pietate mera, & virtutibus almis,
  Dilectique ſuis, rite patres patriæ.

Tandem fatalis quando ſe admoverit hora,
Et veniet tenebris mors adoperta caput.
Non illos tellure premunt oblivia iniqua
Quin durant ſæclis innumerabilibus.
Illuſtresque vehit ſublimi gloria curru.
Et renovat famam ſedula poſteritas.
His tibi, care puer, fas eſt ſine fraude potiri.
Care puer, magno de genitore ſate.
Hanc tibi fortunam, hæc rerum pulcherrima fata
Spondeo, tu meritis fac potiare tuis.
Dixerat, atque illam luſtraverat aureus ignis.
Et circum radiis eſt redimita comam.
Tum vero Alcides totis ardere medullis
Viſus, & ingentes pectore flare animos.
Quamprimum monitis ſe ſe ut præberet honeſtis.
Virtutisque iret totus in arbitrium
Qualis ubi ſonipes generoſo ſemine cretus,
Ætatis robur ſentit ineſſe ſibi.
Nondum fræna ſciens, nondum ſeſſore notatus,
Ludere tantum audax margine gramineo.
Si tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Suſtulerit, fixis ſiſtitur auriculis.
Et pede pulſat humum, & vibratos contremit artus.
Et marte attonitus tangitur horriſono.
Tum memorat. ſi Diva mei, ſi tanta cupido eſt,
Et movet ætatis te pia cura meæ.
Nulla mora eſt, te Diva ſequor, tibi dedicor uni.
Suſcipe tu vitæ lubrica lora meæ.
At Dea deterior vultu perſtabat iniquo.
Et nova quærebat conſerere alloquia.
Ter conata manu iuvenem contingere, ter ſe
Subduxit torvo pæne ſupercilio.

Tandem

Tandem ſpreta abiit, ſylvasque intravit opacas.
 Ille bonæ Divæ iunctus erat lateri.
Æternumque eius manſit mancepsque comesque.
 Eius erat vivus, mortuus eius erat.
Donec ſydereas fama penetravit ad arces.
 Nunc ubi felicem veſcitur ambroſiam.
Thoma meæ dulcis lepor, & tutela Camenæ.
 Care puer, magni maxima cura patris.
Nunc mihi tu Alcides, nunc tu Jovis altera proles.
 Tu quoque mi fies nobilis hiſtoria.
Jam tibi formoſam molli lanugine malam
 Cinget, non ætas tarda venire ſolet.
Jam te conſtituet diviſa ambage viarum.
 Sed tibi virtutis ſola terenda via eſt.
Nil mortale tibi, nil fas ſpectare caducum.
 Herculis exemplo iam modo pone gradum.
Ardua qua cœlo condit ſe ſemita, quo non
 Aſpirant viles, frigida corda, animæ.
Te decet ante omnes pulchra florere iuventa.
 Ante omnes quando te bona fata fovent.
Te decet & magnos patris ſperare triumphos.
 O patris exemplis ingrediare viam.
Ille eſt virtutum norma, & certiſſima amuſſis.
 Ante omnes ille eſt Amphitryoniadas.
Eheu quam crudæ plane immemor ille ſenectæ,
 Immemor & morbos, immemor atque famem.
Horrendumque gelu, ſævos interque triones,
 Immemor & mediæ tempora dira hyemis.
Dura expugnator circum caſtella ſub armis
 Nunc ſedet, & vaſto fulmine ſaxa ruit.
Defecere acresque viri, fervensque iuventus.
 Ille animis rigidum conſtabilit ſenium.

O Dii,

O Dii, qui magnos hominum curare labores,
Et iuſtis orſis ferre ſoletis opem.
Hoc nobis ſervate caput, ne Sole remoto
Hoc tandem in triſtes cuncta abeant tenebras.
Tu fili, factisque refer, meritisque parentem.
Non ſatis eſt claro ſanguine te genitum.
Æquandum genus eſt virtutibus, i pede fauſto.
Et tanto dignum te genitore proba.
Sed tibi poſt bellis aderit maturior ætas.
Tunc tu bella manu dexteriore petes.
Nunc te Muſarum poſcunt commercia, nunc tu
Redde aurem pulchris redde puer ſtudiis.
Hic etiam invenies veſtigia magna parentis.
Hic etiam exemplis illius ire potes.
O quoties illum iuvenem miratus Apollo eſt,
Et petiit comites inter habere ſuos.
O quoties ſtupuere Deæ, ſtupuere Camœnæ.
Atque ſuam ceſſit Calliopæa lyram.
Ille etiam vidit ſapientum templa ſerena.
Tunc etiam peperit nomen in orbe ſibi.
Nunc quoque Muſarum memorem ſe iactat alumnum.
Mars illum quamvis ſangvinolentus habet.
Care puer, patris cupidus præcepta capeſſe.
Nil patris eſt tanti ſanctius imperio.
Nimirum ille nihil ducit te carius uno.
Deceptum partem non volet ille ſuam.
Maxima quæ cenſet, quæ præclariſſima credit,
Hæc iubet, his docilem te bone dede puer.
Seu pacem, ſeu bella geres, te Muſa ſequetur.
Muſa beat cœlo, cætera mortis erunt.

INSIGNIA ZAMOSCIANA.

INclyta virtutes quæ toti INSIGNIA mundo
Monstravere, & quæ tot laudavere Poetæ
Insignes, & queis iam nata est fama perennis
Haud potis est, nostris brevibus celebrare Camœnis.

SIMON SIMONIDES BENDONSKI

THOMÆ DRESNERO J. C.

Instit: Juris Regni Pol. Scriptore.

NE DRESNERE tibi patriæ sanctissima iura,
Sunt obstricta nimis; pressam qui primus in artem,
Dispersas passim Leges, nulloque vagantes
Ordine, digerere egregio exactoque labore
Aggressus potuisti; & pura in luce locasti.
Cumææ vatis folium componere, & arte
Vincire, hoc fuerit; quin quanto insomnia Vatum,
Legibus amsanctis cedunt, censuque feruntur
Deteriore; a te tanto felicibus orsis
Editus est longe melior labor. J bone, quo te
Ingenii vis nava tui producere gestit.
Capturus magnæ pulcherrima præmia famæ,
Et patriæ simul eximium capturus honorem.

IN THERMAS

SKLANAS

SIMON SIMONIDES

SIXTO LEOPOLIENSI

MEDICO EXCELLENTISSIMO.

NÆ multum, Optime SIXTE, næ ſatis plus,
Thermarum tibi debeant fluenta,
Quæ tellus gremio ſuo Polonà
Fundit. Nam ſine lege, nota nulli.
Et ſine artis ope hactenus meabant
Inſignita, benignitate ſola
Naturæ: uſibus haud ſat expedita
Humanis. veluti rudis metalli,
Terræ viſcera dum tenetur intra
Maſſa iners, pretio levi æſtimatur;
Donec officio manus peritæ
Educta e tenebris, & aucta luce
Magno munere venditat ſe ubique,
Et vitæ in varios vocatur uſus.
O Sixte optime, ſic tuo labore,
Thermarum e tenebris fluenta prompta,
Atque edocta mederi ad artis uſum,
Illuſtrem ſibi vendicant honorem
Humanumque genus iuvare gaudent.

JOEL



JOEL PROPHETA

SIMONIS SIMONIDÆ AD CLEMENTEM VIII. PONTIFICEM MAXIMUM.

CRACOVIÆ in Architypogr: Regia & Ecclesiastica LAZARI
Anno Domini 1593.

PRinceps ſupreme, Paſtor Orbis, & Pater,
Felicitas cum te admovebat publica,
Mundi gubernis, iura dans ſumma in manum,
Cœlum recludi queîs ſolet, queîs obſtrui.
Tum mî, remoto hac frigida quamvis plaga,
Septemtrionum cardines ad ultimos,
Non uſitatis gaudiis tamen datum eſt
Potiri abunde, & ſplendidas ſpes volvere.
Jllud reguſtantem tuum cor inclytum,
Mentisque candores, procul fide ancipe,
Pectusque curis arduum ſublimibus.
Quod mî videre tum beato contigit,
Quando, cruenta facta poſt diſcordiæ,

Quæ Regna noſtra, cum propinquis Regibus,
Amore ſceptri, plus ſatis commiſerat,
Ab urbe veſtra, miſſus huc, ſalutifer
Pacis ſequeſter, ſanciebas fœdera,
Tutaque nos quiete compoſtos dabas;
Vtcunque tandem luſit anceps exitus,
Quo fas nefasque res trahit mortalium.
Tunc, te mihi affari, & frui conſpectibus,
Manumque conceſſum eſt tuam contingere,
Haurireque oris mel tuum, affatus ſacros.
Quam mî venuſtam duco gloriam unicam.
At nunc, locare quando te virtus tua
Dîîs proximo ſategit uſque culmine.
Quid me beatius foret? quid promptius?
Quam pedibus amſanctis tuis adſternier,
Offerre & amplexum, & humile oſculum dare.
Non denegaret quippe laudem iſtam mihi
Benignitatis illa pulchra copia,
Quæ larga, veſtro corde, gaudet conſpici.
Adeſſe ſed poſtquam vetat me, res mea,
Pulvinar ad veſtrum, vel abſenti tamen
Pervellit aurem Muſa, geſtiens tibi
Se ſe approbare, nec pudoris, nec memor
Audacis auſus, nec ſuæ illa infantiæ.
Amore tantum tuta veſtri Numinis.
Cui laxam habenam cum ſemel conceſſimus,
Amore eodem nempe veſtri libera,
Nil non ſibi permiſit, ipſas aureas
Sedes polorum ſemita ardua petens,
Vatumque magnis ſe intulit ſacrariis.
Libans ocellis, abditas imagines,
Quas, poſt futuris temporum ſucceſſibus,
Signavit illa, præſcia omnium, manus.

Si forte,

Si forte, congruus quis, ætati, color
Veſtræ emineret, candida inſignis nota.
Namque aureum ſperavit ævum currere,
Nunc conditum, veſtra ſub indulgentia.
Gaviſa tandem repperiſſe, dulcibus
Quievit orſis, quâ Jòélis, pagina
Intacta, ſolvit multiplex os carminum.
Poſt ſæva bella, poſt tumultus aſperos,
Poſt omnium, omnigenum laborum turbinem,
Tandem ſerenos, aureos laudans dies.
Cuiusmodi donare tu mundo potes.
Nam, quæ nefanda peſtis, aut quis non furor,
Repreſſit orbem ad ultimam metam mali?
Quis porro te placare cœlitum minas,
Quæ ſola reſtat ad ſalutem ianua,
Paratior? vel mente pura inſtructior?
Magisve amicus candidis virtutibus?
Queis absque vita ſe beata non gerit.
Sed me reprendit uſque Muſa, amor meus.
Ne vocis humanæ tibi dicta oggeram,
Neu te amplius ſermonibus morer meis,
Ipſum Jòélem ducit auribus tuis,
Genus Jòélem Pathüelis optimi,
Verba adferentem dia, quæ interpres ſacer,
Dictantis hauſit, ore ſancto, Numinis.
Senum ſenes, ætate provectiſſimi,
Vſus Magiſter, longa & exploratio,
Quos æſtimatores catos rerum facit,
Adeſte, ad auditûs trutinam accurrite.
Tum, quicquid uſquam eſt, qua patet vaſtiſſimus
Telluris orbis, educans hominum genus,
Omnis propages, ſæcla gentium omnia,
Adeſte, penſate acribus ſententiis,

Vimque aurium, vim mentis omnem advertite
Cum priſtino, ævum computantes nuperum.
Vnquamne lucis munere hoc ſpirabili
Florere dum vobis datur, vel Patribus
Dum vita veſtris ſole in hoc reſplenduit,
Facinora tanta, tale ad exemplum edita,
Inſignibus adeo datum noſſe eſt modis?
Non hic ſilente lingua opus, non pectore
Oblivioſo, ſed palam vocalibus
Animisque dictisque ad renarrandum obviis.
Narrent Parentes Filiis facta hæc ſuis,
Narrentque porro Filii nepotibus.
Porro nepotes alteri propagini
Tradant ferendum, ad alteram, atque ad alteram,
Ævoque nullo conticeſcat perpetis
Hæc penna famæ, ſæculis clara omnibus.
Atrox, nefandum carmen eheu ordior,
Expulſa damnis damna, vulnus vulnere,
Succeſſiones duplicatas cladium,
In peius excreſcente ſemper augmine.
Eruca, ventrirepa, deſes, vermipes,
Florum aucupatrix fœda, labes frondium,
Virentiæ hortorum hoſtis impuriſſima,
Primævum honorem germinantium abſtulit
Regnorum, & orbis in iuventam ſæviit,
Fœdans maligne pacis alma munia.
Non ſola, nec crudelitatis ultimo
Morſu. ſed ipſa poſtquam avaram alvum ſatis
Exercuit, mox ad relicta pabula,
Fervens tumultu, examinum nimbos rotans,
Alisque dentiumque pollens impete,
Imber locuſtæ, turbine horrendo ingruit.
Exeſor, extirpator acer omnium,

Radice,

Radice, quicquid obvium truncans tenus.
Nec ſat. nec iſto fine conſiſtet malum.
Nam quicquid intactum locuſta liquerit,
Procella mox ſupervolans bruchi aſperi,
Idem fero inſultu opprimet veſtigium,
Lateque nuda cuncta paſcendo dabit.
Dira interim teredo, peſtis pervicax,
Propage verminabit intus ſubdola,
Tyranna fraudulenta, nil non vendicans,
Nil non pèragrans inquietis morſibus,
Tenax premendo, permeans ad intimam
Succi medullam, cortice exhauſto ſuper.
Hæc reliquiarum reliquias pæne extimas
Abſumet, inque pulverem cinefaciet.
O luxu, & uſibus voluptatum ebrii,
Pulli leporum, gens ſepulta inertiis,
Tempus veterno liberare lumina,
Tempus ſoporis excutere gravedinem,
Vultumque fletu, luctibusque tinguere.
Vos qui meracam vitium dulcedinem,
Avidam palati hauritis ad lubentiam,
Modulumque vitæ, menſam opimam ponitis,
Adeſt, adeſt, ululandi aucta occaſio,
Adeſt gemendi dira vobis formula.
Solamen omne veſtri hiantis gutturis,
Laſciviendi omnis redundans copia,
Labra inter ipſa, ab ore veſtro evanuit.
O terra, o hæredium volupe meum,
Tuum beatum uber, tua ſuper culmina,
Gens robore eminens, ſuperba viribus,
Incomprehenſa nomine, numeri incapax
Aſcendit. olli dentium ſerrata vis,
Vt dentium leonis, aſt molarium,

Modu:

Modus tam iniquus, ut recens ipſos ſatos
Scymnos leonum excedat abnormi ſtatu.
Florentis olim vineæ excellens decus,
Multa frequentatum manu, multo ordine,
Redegit ad deſerta ſolitudinis,
Vaſtamque præſtitit, prius cultiſſimam.
Ficum meam, meos amores unicos
Omni decore, uſque ad cutem vivam exuit,
Ademit uſum frondium, hauſit corticem,
Spoliumque raptans futile afflixit ſolo.
Nunc illa quondam nobilis, quondam virens,
Quondam beata fruge mellitiſſima,
Prærepto honore luget, atque albentibus
Ramis, ſtat agrorum perenne opprobrium.
O terra, non te provoco ad luctum levem.
Sed Sponſa qualis, nacta florentem Virum,
Ver pulchrum agentem ætatis, in lanugine
Si forte prima amiſit, intactum toro.
Fruſtrata dulci nuptiarum munere,
Omnem illico remittit elegantiæ
Splendentis ambitum, & nitores aureos,
Vitæque ſe ſe damnat atris ſordibus.
Pro pallæ honore, proque gemma lucida,
Horroribus ſacci aſperis obnubila.
Sic te eſſe mœſtam, ſic inornatam decet,
Sic uſque atratam ſacci ad aſpritudinem.
Lux illa ſacrorum, illa maieſtas domus,
Quam tu apparatam ſtruxeras Deo tuo,
Celebritatis priſtinam omnem gloriam
Deperdidit, tranſcripta vaſtitudini.
Non victimarum dives ampla opulentia,
Non februis libationum præmiis.
Flet mœſta turba, Deo Sacerdotes ſacri,

Devota

Devota cœlo pectora, electum genus.
Lessumque lugubrem integrant, fracti malis.
Quâcunque, quantacunque sparsis finibus
Porrecta pandit regio latifundia,
Furor per omnem bellicus vesaniit,
Nullum rapinis non penetrans angulum.
Atrata lugent arva, crudeli manu
Ad carduos redacta, & herbam inutilem.
Non fruge, non superba tritico annuo.
Non lentipes illis labor amicus boum,
Cultu reponit debitam feraciam.
Mœrent sine ulmis, inquilinæ collium,
Motæ locis, genitrices vini inclytæ.
Lenimen illa corporum, mensæ nitor,
Horti medulla, mater unici ungvinis,
Baccis opima oliva, tota elangvuit,
Percussa tristi vulnere, atque incuriis.
Agrorum alumni, pubes arvis dedita,
Ob militis metum, impiæ ob sonum tubæ,
Disiecta, dispalata, væcordi fuga,
Perisse aratri usum, perisse fervidas
Messesque frumentique lætam copiam,
Penuriam usque ad hordei vilissimam
Deplorat. Vna vinitorum inops manus,
Planguntque pugnis pectora, ululantque anxie,
Autumnitatem propter uvæ evanidam.
O palmitum fons alme, vitigene o latex,
Tuos nitores ante limpidissimos,
Nunc turbulentos stare, nunc lentos trahi,
Nullaque ductos ordinis solertia,
Non miror, & te ficus, olim pingvibus
Fœcunda ramis, nunc inique torpida,
Vos culta mala nominis granatici,

Vos

Vos palmæ amantes ponderum, premi inſciæ,
Et quotquot hortus germina arborum educat,
Non miror, eſſe vos in aritudine,
In ſquale, in horrore, ætheris ludibrium.
Quûm veſtra quippe ſalus ab humana manu
Dependeat, curæ colentis indiga,
Turbante rerum ſumma, vitæ perditis
Solatiis, cultore nullo relliquo,
Veſtros honores ire peſſum par quoque eſt.
O queîs miniſtris ſplendor altaris cluit,
Devota cœlo corda, divinum genus,
Suprema nunc vos flagitat neceſſitas,
Non uſitatis luctibus planctum dare,
Omnes habenas fletuum diffundere,
Toto querelas excitare pectore.
Vos vos repoſti in eminentibus locis,
Dei ſufetes, Præſides rerum omnium,
Præite normam ſupplicum exemplar pium,
Pro purpura, pro lumine infulæ aureo,
In pulverem, & facci ſevera tegmina
Deſcendite, inchoate funebres modos,
Humoque dura corpus usque affligite,
Diesque ſtratos videat, & nox pervigil.
Nam cura dulcis veſtra, veſter inclytus
Labor, beata quo ſtetit domus Dei,
Expulſus, exul, infrequens ceſſit loco.
Non amplius ſacro hoſtiarum munere,
Non ſplendida libationum adorea
Inſignis, aſt ſilentiis fœde obrutus.
Secernite Auſterum diem ieiunio,
Sacrate gratam Numini abſtinentiam,
Æque domitricem cibi, æque criminum.
Ceſſent labores. feriatus ſit dolor,

Interpo-

Interpolatus opere nullo extrario,
Totus ſibi, atque luctui intentiſſimus.
Vocate popli vulgus omne, omnem tribum,
Vocate popli capita, dios principes,
Columen Senati, honoribus mactos Patres.
Et quicquid uſpiam orbe terræ maximo
Curru citato gentium ſol aſpicit,
Adeſſe facite ad Regiam Domini domum,
Domum verendam, quam Deus præſens habet.
Agite, miſeriter mugiat promiſcuus
Ad aſtra clamor, audiendus Numini.
In anteceſſum, poſt futuros inchoans
Vitæ eiulatus, & diei Aha aſperum.
Adeſt, adeſt, lux deſtinata cladibus,
Vltrix cruenta, addicta vindictæ Dei,
Impune cui nemo obvium tollat caput.
Quid illa non vaſtum dabit? quid non rutum?
Quanto feretur fulmine violentiæ?
Quantis in iras emicabit ignibus?
Rigore ſævo adulta, parcendi immemor.
Heu heu, quam acerbum proditum eſt exordium.
Non luce, non ſub viſibus noſtris palam,
Illa, illa felix, illa rerum multiplex
Opimitas, uberque pulchrum alimoniæ,
Ceſſit furoris hoſtici ad lubidinem?
In partem abuſum, parte fœdatum mala?
Altrice porro copia peſſumdata,
Mortaliumque paupertatis commodis,
Langveſcit una maximi domus Dei.
Feſtivitatum debitis ſplendoribus
Orbata, gaudiorum inops ſolennium,
Lugubribus tota abdita in ſilentiis.
Non gleba ſementi ratam ſervet fidem,

U Non

Non meſſis in ſpem creditas fruges fovet,
Putore ſed tetro hauſta grana prodigit.
Penu illud æternum, illa conferta horrea,
Cellæque cumeræque; intimum ornamentum agri,
Inaniis ſtant obſitæ atque araneis.
Pars diſſipatæ, aut propalam æquatæ ſolo.
Ceſſante quippe rure, & almis meſſibus,
Recta involat ſitus quoque in granaria.
Quid ſæcla memorem bucera & armentas boves?
Quantis in auras ſæviunt mugitibus?
Quali boatu pulſa tesqua perſonant?
Quæ tam lubido dira, rumpendi truces
Gemitus, querelæ inconditæ miſtos ſono?
Fames, nefanda fames adurget, & improbus
Exercitor venter, ſuetæ egens dapis.
Defecta propter pabula, & ſtabulis pecus,
Caulisque caſſa mugit ad præſepia.
Et quotquot, herbæ ſponte creto munere,
Prati per æquor, ſuſtinent victum vagum,
Fuſi, fugati, perciti clade ultima,
Ceſſere paſſim paſcuis trepidi greges.
Quid reſtat ultra? quæ ſuper ſpei via?
Non eſt quod intra terminos patientiæ
Dolor fatiſcat, aut ſilens ictum premat.
Fruſtra obſtinatam nitor in modeſtiam.
Quin templa cœli voce, voce cœlitum
Patrem laceſſo, & obruo clamoribus.
O Rex Supreme, o omnium Princeps ſator,
Hæc adſpicis? vultuque non moto approbas?
Dum flamma fuſis æſtuans incendiis,
Vorare geſtit dulce ſylvarum decus.
Spelæaque inter intima avide perfurit,
Vſtis favillam ventilans mapalibus,

Nullam-

Nullamque non igne involans ſtirpem arborum.
Pervaſit ardor, uſquæ terræ in abditos
Specus, ferarum inhoſpita ad cubilia.
Incicur illicet animans omne excitum
Fervore diro, vaſta perſultat ſola,
Raptatque modo fugam huc, modo illuc ancipem.
Aut nare hiulca, quærit auras liberas,
Ad te ſupinans aridam faucem ſiti,
Exuſta qualis, æthere anni fervido,
Hiante tellus quærit imbrem viſcere.
Siccavit eheu ignis ipſas fontium
Venas perennes, ipſa fluminum vada.
Omnis venuſtas, omne pulchritudinis
Specimen ſuperbum, ſponte quod mitis parens
Natura fundit ſolitariis locis,
Hauſtum, voratum peſſimo æſtu concidit.
Quis Æneator nunc citus tubam rapit?
Atque arce de Sionis horrendum intonat?
Signum duelli, Nuntium infandi mali?
Ite, entheis bachate circum excurſibus,
Vlulumque ſancto monte feralem edite.
Percellat arva clamor, omnes incolæ,
Omnes remotis quotquot hærent finibus,
Terrarum alumni, ferrei ſæcli genus,
Oeſtro pavoris miſceantur fervido.
Turbasque conſlent, mentibusque aſpris fremant.
Adeſt, adeſt, nec longa diſtinet mora,
Adeſt citatis ultionis cladibus,
Dies cruenta, addicta vindictæ Dei,
Dies tenebris involuta immitibus,
Caliginoſæ noctis umbris obſita,
Nigrans procellis, cœca fœdis nubibus,
Lateque terrifici creatrix turbinis.

Quo cuncta verrat, cuncta confestim opprimat,
Istuque pæne involvat urens unico.
Qualis recentem quum mari flammam icet
Aurora, celsos montium se in vertices
Impigra vibrat, pæne momento omnibus
Invicta solis tela spargens angulis,
Nullumque non volucri locum face involans.
Eheu minacis quanta vis exerciti,
Numeri incapax, virtute militum eminens,
Flagrans superbo ardore fortitudinis,
Crudele figit huic agro vestigium.
Telluris ex quo cœpit habitari hoc solum,
Antiquitatis ultima ex origine,
Nemo hostis huic parem intulit ferociam.
Nec inferet post, sæculo altero, & altero.
Quam vultus atrox? quanta frontium acritas?
Qua flexit ora, qua viam rapere institit,
Nimbi antecedunt ignium voracium,
Agmenque claudunt pone flammarum globi,
Procul vomentes, fumidam fuliginem,
Æstuque nuda cuncta dantes fervido.
O terra, amœnitatum ocelle, o unici
Orbis medulla, Gratiis selecte flos,
O tempe amorum, o voluptatum hortule,
Tu nunc beata, nunc nites pulcherrima.
Hostilis ast simul manus te fregerit,
Feres nefandæ damna vastitudinis,
Ibisque deserti in rigorem luridum,
Et quotquot uber dulce perreptant tuum,
Fuga efferentur impotenti, nec fuga
Clade impeditos, ulla servabit tamen.
Quid mirer? aut quid horream expavens prius?
Frontisne diritatem, & aspectus truces?

Quales

Quales equorum præliis frementium.
An irruentum non ferendos impetus?
Plantasque plane præditas curſu igneo?
Queis expeditus non eques certaverit.
Non ſic quadrigæ montium inſultant juga,
Saxa increpantes ungulis ſonantibus.
Non ſic edacis fervidus flammæ furor,
Arentem acervum quando ſtipulæ ingurgitat,
Torquet favillis æſtuantem turbinem,
Lateque ſonitu pulſat auras torrido.
Quodcunque robur eſſe fortitudinis
Vſquam poteſt, quæcunque gens bello effera.
Jactat ſuperbam gloriam duellicam.
Hæ una princeps omnium inſtar eſt manus.
Tota in cruorem prona, tota vulnerum
Sæva artifex, magiſtra bellorum aſpera,
Parata pranſa cædium ad veſaniam.
Quacunque diros vertit orbes luminum
Iram vomentes, ferreus paſſim pavor
Oppreſſa ſternit corda, ſpes ægræ tremunt,
Vncumque cura carnifex figit trucem.
Non ſtare ſangvis integer molli in gena,
Sed illatebrans intimos vitæ in ſinus,
Fœdata linquit ora nigrore horrido.
Quales caminus, oblitas fuligine
Teſtas remittit, ſquale tinctas fumida.
Heu heu Gigantum quanta currunt robora
Frænanda nullis aggerum repagulis,
Spretura quævis tela, quosvis obices,
Tanti irruent, ferrorque iter late dabunt.
Non murus illos, turriumve vaſtitas,
Arcebit ulla. machinæve deſuper
Imbrem ruentes ſaxeum tonitru igneo.

Trans

Trans ipſa ſepta, transque propugnacula
Curſu evolabunt pervicaces arduo.
Viri feroces, ſueta bello pectora,
Scientiæ mavortiæ expertiſſimi,
Locum tueri quisque pertinax ſuum,
Nec flectere uſquam de viaï tramite,
Non ordines turbare, non gradu excuti,
Non alter alterum tumultu obtundere,
Fraterve Fratris premere colliſum latus.
Quin ire calle quisque ſtrenuus ſuo,
Pedemque fixa ponere ad veſtigia.
Tum quando velox provocat neceſſitas,
Procul feneſtris præpetem ſaltum dare,
Cadent volucres, ſaltibus pernicibus
Crebri petauriſtæ, ignei ſaliſubſuli,
Aurisque credent corpora, alitum vicem,
Nec corruentes, caſus allidet procax,
Luxator artuum, cerebri everritor,
Quin expediti, & undecunque innoxii,
Pulchre caducum deferent pedem ſolo.
Quæ porta fractis non pateſcet vectibus?
Quis urbis angulus, ruentûm ab impetu
Recedet immunis? palam, palam, agmine,
Denſi, frementes, rapere pertendent viam,
Vrbisque victæ, lata inundabunt fora.
Pars emicabunt mœnibus celſiſſimis,
Murosque perſultare ovantes geſtient;
Pars in domorum aprica ſcandent culmina,
Tectisque ſublimes amabunt conſpici.
Nec ſat, per amplas, limine emotas fores,
Penetrare dabitur, ad rapinas ædium.
Nî, quâ vocavit ardor audendi impotens,
Ipſas feneſtras moliantur ſcanſiles,

Aditus-

Aditusque captent avios, nisu improbo,
Furum æmuli, rapace dextra avidissimi.
Nec te quietam, pondere æterno sitam,
O magna tellus, alma Nutrix omnium.
Nec te licebit sede tranquilla frui.
Simul, nefanda luce, fulserit tibi
Hostilis oculus, heu misella non feres
Nec te tenebis mole fundatam tua,
Sed contremisces artubus penitissimis,
Lateque quassa cuncta sternes dissipans,
Conata dorsum pessimis subducere.
Nec vos, corusca regna, sedes astricæ,
Beata cœli maximi palatia,
Quæ, pulcher ordo, cursibus rotat vagis,
Nec vos, choreæ semper inclytum decus
Juvabit, aut libebit instare hunc gradum.
Loco moveri vos tuor vestro quoque,
Fragoribusque concuti vastissimis,
Orbesque concursare lapsos perperam.
Tuque o diurni muneris fons auree,
Mundi ocule, radiorum perennium sator,
Thesaurus unicus corusci luminis,
Sol alme, tu lugebis atratâ gena,
Vultusque merges in tenebras horridos.
Tecumque consors ipsa mœstior tua,
Fax noctium, iubar secundum cœlicum,
Splendore destituta munifico tuo,
Quassabit incassum rubentem lampada
Ferale nigrans, nocte tota condita.
Quin pictæ stellis, prata cœli florida,
Mœrore opaca, subtrahent ignes suos.
Polique peplum deserent, luctu obsitum.

Non

Non ante, ferri ſe tamen ſtringet rigor,
Jus, fasque donec iuſta clarigatio
Teſtata promulgârit, atque edixerit,
Quá lege læſi numinis flectant minas,
Quo more pollutos honores ſarciant.
En Impetator ipſe rerum maximus,
Cui omne robur, omne ſæclum militat,
Structos priusquam iubeat ire exercitus,
In hoſticoque ponat ultricem manum,
Vocem ante mittit fecialem nuntiam,
Iniuriasque iure repetitum venit.
Vt parte ſe quoque hac probet iuſtiſſimum,
Pollentiamque dexteræ oſtendat ſuæ.
Non, neſcios, monitisque non cöercitos,
Se fraude velle improvida convoluere.
Palam, palam olli virium ſtat copia,
Nec una caſtra, militisve unum genus,
Sed gentium pæne omnium electiſſimi,
Superfluam evocati ad exſuperantiam,
Late, ſtativa collocantes omnibus
Campisque regionumque nullo non ſolo.
Queis acrius nihil, nihil ferocius,
Duraciusque audacibus periculis,
Aut iuſſa ſacra promptius capeſſere,
Auſuque ſtrenuo imperata perſequi.
Vt vulſa ſigna, ut cædium licentia
Permiſſa clangorem tubarum exaudiit,
Diesque dictus ultionis ultimæ eſt.
Nil hoc cruentum, nil mage enorme, aut ferax,
Spectabit orbis obrutus formidine.
Nec ſtare contra impune' nec pertendere
Cuiquam licebit, poſcere aut veniæ modum,
Vſque obſeratis auribus clementiæ.

Nunc,

Nunc, nunc, benigna, mitibus ſe induciis,
Indulget hora, nunc Patratus optimus
Pater ipſe, criminum ultor olim acerrimus,
Poſcit receptum transfugæ mentis ſibi,
Pacisque blanda lege condicit fidem.
En ſponte amica voce devios ciet.
Quo, quo ſceleſti pergitis? quo vos pedes
Ducunt prophani, vultibus noſtris procul?
Revocate curſus impios, retro date
Fugitiva vela flectite ad portus meos,
Redhibete cordis debitam ſedem mihi,
Sed integram, ſed candidam, puram, puram,
Omni carentem labis adnexa nota,
Plenamque conceſſamque mi medullitus.
Nil ſubdolum, nil namque fictum admittimus.
Duxque adſit una, preſſa continentia,
Succincta non procacibus ieiuniis.
Adſitque luctus, ipſe damnator ſui,
Commiſſa tergens lachrymis fidelibus.
Totoque planctus ſurgat ingens æthere.
Non veſtium lacerator ille, aſt cordium,
Dolore findens intimos mentis ſinus.
Auditis? an ſurda arcet obſtinatio?
Adeſte, adeſte, vertite indignam fugam,
Redite verna turba priſtinum ad larem,
Redhibete vos hero fugaces ſervuli.
Non cum hoſte vobis, non tyranno cum aſpero
Res eſt futura, Dominus ipſe veſter eſt,
Deusque veſter, omnium optimus ſator.
Patens ad omnem gratiæ indulgentiam,
Vel ipſa vota promptus antevertere.
Dans cuique pectus obvium, obvios ſinus,
Vber benignum, Matris Almæ viſcera,

X Feſſis-

Fessisque pæne condolens sensu pati.
Non nare acerba lentus iras voluere,
Differre non asper, opulens clementiis,
Miserationum plane inexhaustum penu.
Jam iam flagellum comminatus. & mala
Intenta vibrans, mox remissus & favens.
Parcus nocendl, supplices facilis pati,
Ab ultione dimoveri flexilis.
Hæretis insulsi? ullave dubitatio
Retentat usque criminum mentem ream?
Speique pulchræ liberas cludit vias?
Infestus esse quis sibi tantum potest?
Benignitate ut se abdicet Dei sui?
Dirisque vitam destinet perennibus?
Numenque fingat prorsus intractabile?
Hoc discere, hoc cura mage est capessere.
Sceleribus adversum Deum, virtutibus
Solere placari, & redire in gratiam.
Feros domare, cernuis ignoscere,
Nec stirpitus convellere decora inclyta.
Quin linquere benedictionum reliquias.
Vt, quâ mearit prospero vestigio,
Sepulta surgant sacra, surgant germina
Divorum honorum, munus & libaminis,
Deo dicandi perpetim libaminis.

Eja intonetur æneæ sonor tubæ,
Signum severum, publici carmen mali.
Sint feriata sæcla ritu sobrio,
Semota mensis pingvibus, cultu aspera,
Amsancta fruge dapsilis ieiunii.
Vocate cœtus, & sufetes cœtuum,
Adsint gregatim densa popli examina,
Plebs undiquaque confluens, immiscua.

Adsit

Adſit corona concionum nobilis,
Cives diſerti, concilii electum decus.
Vosque o verenda Capita, grandævi Senes,
Et parvulorum currat alma ætatula.
Et quotquot uſque lacteam nefrenduli
Mulgent opem, tenelli Alumni infantiæ,
Nutricum habendi vagiant in dexteris.
Nec te, recenti macte mentem gaudio,
Par eſt leporum blanda dona carpere,
Lente impeditum dulcibus complexibus.
Linque, o beate ſponſe, felicem torum.
Tuque o voluptas unica, thalami iubar,
Jucùnda ſponſa, linque ſeceſſus tuos.
Age, ocyùs te elimina, viam rape,
Matrumque te te cæteros adde in greges.
Quæ tum vacabit planctibus ſedes feris?
Non ipſa, inacceſſa ante mœſto luctui,
Delubra, læta Numinis præſentia,
Defendet a ſquallore, ſanctitas vetus.
O area, o ſtatio Miniſtrorum Dei.
A fronte templi, altare quæ diſcriminas,
Solis Sacerdotum frequentata pedibus,
Pulſanda quantis fletibus remugies?
Dum mœror in te fræna diffundet ſua.
Flebunt ſacrorum præſtites, Dium genus,
Viri verentes Numinis, Myſtæ pii,
Atque ora guttis proluent calentibus.
Ibitque muſſans murmur, anxie ingemens.
O parce, parce, dulcis o quondam Pater,
Tuo popello parce, parce vernulis.
Ne dede turpitudini, aut opprobrio,
Hæredium tuum, tuam ſortem unicam.
Ne perduelles, Barbari impuriſſimi

Manu tyranna fœditer tuos premant,
Tuique honores vellicentur indidem.
Procaxque lingua, ſumat aptam copiam
Mali veneni, teque per nos vulneret.
Quis ſoſpitator noſter ille tu Deus,
Impune carpens, teque lancinans palam.
Nec ſupplices fuêre fruſtra, nec mora.
Exarſit ingens oſſibus Dei dolor.
Iraque non ferente contumeliam
Commotus, haut tulit ſuum lædi decus.
Ipſamque tellurem ſuper miſeritus eſt.
Mentemque ſuſcepit quietam erga ſuos.
Multumque de rigore dempſit priſtino.
Vltro benignæ temperans veniæ modum.
Dictisque amicis lene reſponſum dedit.
Voce ipſe pacata calans poplum ſuum,
En læta vobis rura, lætas frugibus
Reddo novales, vile & annonæ forum.
Et late opimis horrea ampla meſſibus.
En vitis ulmos denſa veſtit fertiles
Vvis onuſta, muſtei roris parens,
Medela vitæ, nectar orbis unicum,
Nec pingvis uſquam deeſt olivi copia,
Ævi refectrix, recreatrix virium.
Stant denſa late arbuſta, ſylvis æmula,
Honore baccarum affatim ornatiſſima.
His eſte macti commodis, his præmiis,
Nec amplius manete Gentium pudor,
Nec turpitudo iniqua nominis mei.
Et hunc opacæ noctis ex propagine,
Frenetici ſeptemtrionis filium,
Belli procellis efferatum immitibus,
Tundam, repreſſum ſedibus veſtris procul

Saltus.

Saltusque in invios, inhoſpita in loca,
Pulſum ſupinabo, accolam inculti ſoli.
Jacebit umbra, maximi cadaveris,
Protenſa longinquo orbe crudis artubus.
Qua ſol renatus aureos ortus ciet,
Vndamque luſtrat æquoris cognominis,
Hac ſumma frons, apex nefandi verticis
Volvetur, ora littoris vaſtiſſimi.
Aſt corporis margo, pedum ſtatumina,
Idem relapſus quâ diem ſol occulit,
Sternentur, uſque marmor ad noviſſimum.
Ibitque cœlo fætor affatim arduus,
Tabo eliquatus, pabulum ſipedinis.
Ibitque putredo inſepulta, verminans.
Redhoſtimentum rancidum ſuperbiæ,
Quâ geſſerat ſe ſe impotenter, uls modum,
Victoriæ frænare iura reſpuens.
Nunc pulchra tellus, nunc amica mi ſola,
Arvum politum nunc inertice metu
Vacare mando, mando comptam vivere,
Et luſibus dare otium, & terere diem,
Fæſtisque laſcivire lautam gaudiis.
Tanti æſtimatam, quando te Deus tuus
Ornare quærit, nec laborem defugit,
Magnum laborem, dexteræ pignus ſuæ,
Quo ſplendidam, quo te ſuperbam provehat.
Prodite luſtris, antra cæca linquite,
Meticuloſo arcete curam pectore.
Fæcunda pecua, liberum armenti genus,
Quodcunque nutricare Patria hæc amat.
Diſceſſit agris horror, ubertas virens
Priſcum nitorem reddidit teſquis locis.
Et quæ rigebat gleba, deſerti vicem,

Lappis-

Lappisque carduoque late ſquallida
Splendere gaudet, flore picta lucido.
Turgere rami geſtiunt gemma nova.
Fructumque nulla non ſuum arbos parturit.
Et ficus omnem præſtitit dulcedinem.
Et uva totam ſuavitatem maximam.
At vos novella turba, ſpes domus recens,
Pulli parectati, iuventæ floſculus,
Sanguen Sionis, aſſeclæ ſapientiæ,
Hoc tempus, hoc eſt, quo vagam diffundere
Mentem datur, ſtudiisque lætis provehi.
Vitulate magno gannientes ludicro,
Vitulate certa numinis præſentia.
Numen voluptas veſtra, numen ſit lepor,
Et luſus & venuſta ſubſultatio,
Talem Magiſtrum, diſciplinæ præſidem,
Ducem irreprenſum, corculum peritiæ,
Vobis redono. Cuius ore limpido,
Fontem bibetis veritatis aureum,
Æterna iuris, atque legum ſagmina:
Hic vos hic arte finget exactiſſima.
Quales fuiſſe conſtitit, primo ſatu,
Olim profectos optima ex origine.
Nec uda cœli vena, ſudis imbribus.
Rorem feracem, fundere in terræ ſinum.
Vſquam negabit, mane ſeu roſeo, facem
Aurora, currus ante ſolis proferet,
Seu condet obſcuranda ſero lumina
Et antevertens, & diem pone inſequens.
Ceu lauta mundi forma primitiis fuit.
Jam iam, repoſta maximis granariis
Frumenta turgent, perſonant tunſæ areæ,
Dum munda ariſtam linquere expetit ſeges.

Surgunt

Surgunt acervi, adoreæ locuples penu.
Gemunt referta præla, vitigenus latex,
Expertus usque crebra plantæ verbera,
Vndare quærit, uvidus largo alveo.
Quæritque olivi undare blanda opimitas,
Cibi nitela, pingve mensarum decus.
Nil molle, parvis ausibus nil ordior,
Sed virium, pollentis atque roboris,
Ingens opus, quæ nostra se vobis palam
Probet potestas, usibus vestris data,
Qua compotivi vos superne præditos.
Valere iam iubete languidam famem,
Cænisque vos curate pollucibilibus.
Licet venustos agere convivas, licet,
Vel ad palati maximam lubentiam,
Cui sola denique satias ponat modum.
Tunc ore vestro, sit nomen meum frequens,
Tunc pulchra laudum dona, tunc præconia,
Reponat altis, lingua grata, nubibus,
Queis vester esse noscar & Rex, & Deus,
Ingentium patrator in vos munerum,
Stupore singens corda præstitis bonis.
Hac sit secuta vos tenus confusio,
Hac servitutis Barbarum contagium.
Deinceps vetabo cum prophanis vivere,
Gentem mi amicam, segregem poplum mihi,
Privo fruentem libero consortio,
Vel usque sæcla perpetim ad perennia.
Nec me pigebit præesse vestris cætibus,
Coramque in Israële conspici meo,
Medium frequenti Civium comitio.
Nescire nemo ut possit obtutus meos,
Sed scire cuncti me Deum, & Regem suum.

Cui

Cui poſſit alter nemo compararier,
Qui ſceptra poſtmodo iſta nulli ceſſerim.
Rex ipſe, Princeps ipſe veſter unicus.
Certum eſt, in unum diſſipatos cogere,
Certum, exules donare patrio ſolo,
Nec perfido amplius iugo ſinere opprimi.
Nec inquinari ſordibus promiſcuis,
Latusve purum cum prophanis iungere.
Sincera ſed durare ſæcla perpetim,
Claudenda nullo fine, nullo termino.
Migrabit ætas iſta pridem ſævior,
Pulchrumque pulchro tempori cedet locum.
Jam ventilari blandientes expetunt
Auræ, & ſereſcit purior cœli dies.
En ipſe, flamen, en meam vim maximam,
Depromo, deque fundo largo flumine,
Cœleſte munus, carnis in glebam rudem
Nil corporum averſatus obſcura augmina.
En ſaxo, proles veſtra, veſtri liberi,
Maresque ſexus & minor viragines,
Lymphata noſtro corda tacti Numine,
Oraculorum dia fundent carmina,
Vatumque primas ſortientur glorias.
At maior ætas, incluti caſci ſenes,
Dum feſſa lentus membra diſtinet ſopor,
Mensque exſoluta liberis pennis volat,
Catas futuri ſomniorum imagines
Cernent, repanda porta qua fatis patet.
Porro iuventus, perſpicax viſu mage,
Palam, ſub ipſa luce, promptis ſenſibus,
Coram intuentur ſpectra rerum lucida,
Vivos colores imminentum eventuum.
Nec te, ſecunda turba, parta mancupi,

Nec

Nec te relinquam munerum exſortem meûm.
Vobisque ſervuli, meo de ſpiritu
Impertiam, vobisque bellæ ancillulæ,
Menſura herili, copia lautiſſima.
Cœlumque, telluremque portentûm metu
Quaſſabo. tu percuſſa terra, gurgitem
Volues cruorum, cædibus tota obruta,
Imberque te coruſcus, ardentum ignium,
Figet ſuperne, incendiis procul furens.
Fumabis, heu miſella, fervore ultimo.
Anhela ructans pectora, in mundi cavum,
Vaporque te auris, & favilla differet.
Hic ſol, hic almæ lucis auriga aureus,
Atratus ibit horrida ferugine.
Tu Luna, lumen alterum puriſſimum,
Hæc ora lactea, iubar hoc argenteum,
Cruore tingues, diſcolor, væpallida.
Tanta antecedent monſtra, tandem maximus.
Pollens procellis, turbinum promus minax,
Formido & horror orbis, horror ſæculi,
Vltor ſupremus, ingruet Domini dies.
Hæc ſumma rerum, hic hæret alte terminus.
Quem nulla poſt momenta verterint loco.
Quin conſtet id, quod ſtat ratiſſimum fore.
Tunc nominis noſtri invocatores pios,
Sacrata cœlo pectora, electum genus.
Vitæ aſſeram, fætoque ſubtraham aſpero.
Ipſo Sionis quippe pulchro culmine,
Jpſisque Solymes inclytis pomæris.
Salus vigebit, tuta virtutum choro.
Nec cæteros pleroſque non contexero,
Lectu novo accenſos ſupernumerarios,
Servare quos mi cura, quos labor fuit.

En fiet illis, fiet usque lucibus,
Cum præstitutam tempus orbitam teret.
Quo servitutis compedem, & crudum iugum.
Demam meis Solymis, meo Judæ unico,
Reddamque iura civibus postlimini.
Tum conglobabo gentium mista agmina,
Omnem superbam Barbarûm propaginem,
Ducamque mecum iure consertos manu.
Quâ plana pandit septa territorii
Vallis Josaphat, Judici Campus sacer.
Hic mi tribunal stabit, hic creperûm forum,
Hic iusta litis iurgia adversum reos.
Quæramque calculumque poni mi volam.
Meo popello, hæredio meo super.
Qui tam proterve libuit esse iniuriis?
Vt Israëlem, nostra patrimonia,
Tam diriter, tam pessimis tunsum modis,
Irent redactum ad ultimas minutias,
Sparsumque vastis gentibus disploderent.
Cur ausa nostrum pertica arvum carpere?
Dominisque partem vendicare non suis?
Heu heu, meorum, capita mi charissima,
Vilis fritillus, vana lusit alea.
Impubis ætas, volupe matrum gaudium,
Heu prosedas, nefande merces, ad lupas,
Ivit, libidinum pudendum præmium.
Heu ebriosus miles, heu gurges meri,
Temeti amore sauciari se expetens,
Florem puellarum, aureas virgunculas,
Vini propolis obligavit impius.
At tu superba civitas Sydonia,
Tu civitas Tyri, Palæstinum & solum,
Quodcunque nostris finibus iungis latus;

Potesne

Potesne quicquam triſte, quicquam inhoſpitum,
Narrare de meis? aperte & conqueri?
Tibine mecum quvit intercedere
Offenſa quæquam? ires ut ultum iniurias,
Priusquam læſa, redderes noxam parem.
Si te nocendi tanta vexavit ſitis,
Impune ut incurſare ſperares meis,
Et damna ſponte innoxiis procudere.
Dicto ocyus, mox mox tibi rependero,
Juſta libella, talionem aſperrimum,
Tuumque cornibus tuis frangam caput.
Auri talenta, divitem gazam meam.
Perfecta gemmis vaſa, ſignis aſpera,
Et quicquid argenti extulit domus mea,
Mala abſtuliſtis fraude, raptu peſſimo.
Ipſoque honores, queis ſerenari meam
Ego profeſſus mentem, & expleri ſolens,
Et quicquid in rebus meis pulcherrimi,
Demptum mihi, obſcenas Deûm veſtrûm in domos,
Fœde intuliſtis, & ſacraſtis perperam.
Gnatos Judæ, nobiliſſima corpora,
Gnatosque Solymes, liberum ſemper genus,
Quæſiſtis aucupio plagi iniuſtiſſimo
Proculque venundaſtis oram in Græciam,
Trans vaſta terræ ſpatia, trans magnum mare,
Ne ſpes miſellis ulla, perpetim foret,
Dulcem videndi Patriam, & patrum domos.
Non ſic abibit, non ſed obverſum malum
Torquere certum eſt veſtra contra pectora.
En, queis in oris, inſtitores improbi,
Mercatu iniquo, convolantes ad lucra.
Diſtraxtis incolas meos, germen meum.
Inde excitos, ſervaque raptos compede,

 Mihi

Mihi reducam, & libera afferam manu.
Ruet retorta veſtra retributio
Veſtrum in caput, frangetque vos iuſtam vicem.
Veſtrum propagmen impium, ſobolem notham,
Natosque iunicumque læta corpora.
Dedam ſub haſtam, filiis Judæ in manum.
Paſſimque vos, vilis precii, mercem malam.
Vendent, revendent, uſque ad ipſos ultimos
Orbis Sabæos, diſſitam gentem procul.
Non eſt Dei, mutare, quod ratum ſemel
Enuntiarit ore conſtantiſſimo.
Percellat aurem gentium clamor minax,
Volent frequentes Nuntii, voces fremant,
Pandantur alta clauſtra, bellorum viæ.
Arma, arma conclamate, ſtent iuſti dies.
Vexilla pinnis ventilentur arcium,
Devota ferri ſæviat licentia,
Nil ſanctius ſit cæde, nil antiquius,
Scandant feroces troſſuli, ſcandant equûm
Inſtrata dorſa, tecta ferri fornice.
Ruant phalanges, quique robuſtiſſimi,
Quacunque terræ parte, quocunque themate,
Dent magna, bello conſecranda nomina,
Gemant refectis officinæ incudibus
Nil tela præter, præter armorum ſtruem,
Feſtinet expedita fabrilis manus.
Vel ipſa aratra, ruris apta muniis,
Bellorum in uſus aſperos refingite.
Eat rigorem in enſium dens vomeris.
Eantque dura ſarcula, & ſcaber ligo.
In geſſa tela, in longiumbres lanceas
Vel efferari nunc liceat inertibus,
Gnavamque ſe ſe iactet ima imbellia

Dicant-

Dicantque ſegnes, fortium nos æmuli,
Victoriarum conditi ad palmarium
Ite, omnibus mundi plagis, omni loco,
Movete ſigna, convolate, erumpite,
Cogite vires maximas exerciti.
Denſi manipli ferveant cohortium.
Hic campus, hic eſt, hæc duellica area,
Tinguenda veſtro ſanguine, hic late dabo
Stratum omne veſtrum robur, afflictum ſolo,
Humumque mordere faciam audaciſſimos;
Non hoc ſedendi tempus, aut lentæ moræ.
Properate magno ſiſtier vadimonio,
Omnis propages, gentium ſæcla omnia,
Vallem in Ioſaphat, iudici campum ſacrum,
Quo dicta vobis eſt dies ſeverrima,
Hac ſede Iudex, orbis omnes incolas.
Coram evocatos, litigantes audiam,
Cernamque prolatu ultimæ ſententiæ.
Adulta ariſtis iam ſeges falcem vocat,
Ite o frequentes, dura meſſorum agmina,
Telluris hanc denſam comam, ſatum arduum,
Sub cultri acumen proſecantes mittite.
Ceſſare nulli libeat ex operis meis,
Vindemiæ celebramus uda tempora.
Iam protulit ſe plena tandem autumnitas,
Iam vaſa vinitorcula ubertim ſcatent.
Iam præla feruent, iam trapetes æſtuant,
Summam potitum copiam excrevit ſcelus.
Diffuſa late criminum exundant vada.
O plebs, miſella, plebs miſella, ter quater.
Non vallis iſta, non ſolum fixum te habet.
Sed ceſpes Orci, ſed vorago perfida,
Campus ruinæ, funerum gurges vorax.

Iam

Iam iam, nec arcet longa terminum mora,
Quum ſe arduus mundo inferet Domini dies,
Hac valle ſæva, cædium hoc ſtato loco,
Pœnas luetis, lancinati cruditus.
En ſævit ipſe ſol tenebris horridus.
En luna lumen impiatis denegat.
Nox atra ſtellas diſtinet, porta ætheris
Oppreſſa, vultus aureos cœli abſtulit.
Rugiet Sionis arce Dominus infremens,
Vocemque Solymes edet altis turribus.
Vocem, polorum tecta moturam loco,
Terræque moturam refractos cardines.
Fatiſcet icta tota mundi machina,
Et fluctuabit funditus caduciter.
Vos interim, mei Iſraëlis, gens mea,
Fiſos mihi, ſecura conteget quies.
Ad me recepti, ſpe mihi innixi rata,
Degetis immunes, periclis invii,
Meo refulti tuta corda robore.
Senſuque dabitur ſcire compertiſſimo,
Quod ipſe veſter Dominus, & veſter Deus,
Sionis arce, montium ſanctiſſimi,
Chariſſimique montium mihi omnium,
Diverto præſens, & meam ſedem hic gero,
Atque ipſa Solyme, ſydus urbium & iubar,
Apex ſupremus elegantiæ unicæ,
Primos honores ſanctitatis auferet,
Splendore maieſtatis arduo eminens.
Quam fronte prona, ſubque miſſis faſcibus
Vrbes adorent, & ſtupeſcant omnium
Lumenque Reginamque late Gentium,
Nemoque deinceps perduellis, perfidus
Nemo exterus graſſator, aut prædo rapax.


Pertendet

Pertendet inceſtare contactu impio.
Pedemve ſanctis ponet impurum viis.
Ventura, nec mutanda quondam ſancio.
Quum pulcher ille fulſerit mundo dies,
Novos lepores, promet ætas aurea.
Non mella pratis efficax apum labor
Leget minutim, cellulis condens cavis.
Sed montium fœcunda ſe ſe viſcera,
Paſſim refundent, nectaris ſatu oblita,
Roresque largos proferent dulcedinum.
Paſſimque colles lacte manabunt mero.
Olimque Iudæ regio, fluminum indiga,
Sitim relinquet ſiccitatis aridam,
Nulloque non revolvet undas rivulo.
Ipſoque Regis maximi palatio,
Prodibit ingens, limpidæ parens aquæ,
Fons largus, amplo ſe vomens ex alveo,
Spinisque torrentem procul cognominem
Ditabit, ad Iordanis uſque littora
Fluctus propagans, irrigator prodigus.
Ægyptus, hæc Ægyptus, arvum perfidum.
Hoſtilis ora, nunc tumens ſucceſſibus,
Inculta, deſolata, contemptiſſima,
Iacebis olim, turpe ſpectrum cladium.
Et vos Idumes regna, latronum domus.
Fraudum officina, ergaſtulum doli mali,
Et vos nefanda damna deſerti manent.
Sic vaſta, ſic fœdata ſquallore ultimo,
Sic inquinata peſſimis incuriis,
Cedetis in pravum lucrum, furi improbo.
Palamque præmiator & prædo vagus
Vos permeabit, ganniens raptu impio,
Vt nulla deinceps vos ſatis ſervet ſalus.

Hac

Hac ſcilicet mercede vobis venerit
Iniuriarum nullus in Iudam modus.
Factæque cædes innocentum corporum,
Sangvisque large fuſus in terræ ſinum.
At terra Iudæa, Incolas populos ſuos,
Fovebit æternum, beata & libera,
Habitata ſemper, culta ſemper impigre.
Vrbisque Solymes ampla territoria,
Semper vigebunt Civium frequentia,
Hac ſtirpe Gentis, hac, & altera procul,
Vſque ad perennes Gentium Proſapias.
Purumque, mundatumque ſanguinem dabo,
Mundare quem forte hactenus neglexeram,
Sionque mons, ocellus iſte collium,
Me Præſide, & Rectore me, regnabitur.
Regnabitur vel perpetim, omnes ſæculi
Vls terminos, uls atque metam temporum.

Jeſu Chriſto laus & gratia.



PENTESILEA

PENTESILEA

ZAMOSCI

In Officina Academiæ, excudit
Christophorus Wolbramensis, Anno Domini 1618.

SIMON SIMONIDES

THOMÆ ZAMOSCIO

PALATINO PODOLIÆ

JUVENI INCOMPARABILI. DOMINO. PATRONO
BENEFACTORI SUO. LIBENS MERITO

DEDICAT.

PERSONÆ.

PENTESILEA.
AMAZONES.
CHORUS ex Virginibus Troianis.
TALTIBIUS.
PRIAMUS.
ANDROMACHA.
ASTIANAX.
NUTRIX.
AETHRA.
NUNTIUS.
AENEAS.
DEIDAMIA.
COETUS fœminarum.
THEANO.
TRES Milites saucii.
NUNTIUS alter.



PENTESILEA.

TE magne Mavors, ſanguinis Sator mei,
Primum invoco, ut me robore invicto iuves,
Dignamque te parente natam comprobes
Fallorne? num pavoris hæc veſtigia
In me emicant, ſignumque dant diri ominis?
Virtutis an ſunt talia hæc præludia?
Vt vim ſuam ordiatur a metu ancipe.
Ne defetiſce anime, nec augurio malo
Te frange. non eſt in manu tua ſitum,
Quid fata poſcant. hoc ſitum eſt, ut ſtrenuum
Te præbeas, vel numinum uſque ingratiis.
Cædemne vitas? quam per arma quæritas?
Colo accubandum cum hac fuit ſententia.
Belli aleam, belli frequenta moribus.
Aut perdere, aut perdi, duelli lex iubet.
Sed vos Sodalitii mei pars unica,
Adeſte amicæ, & conſulite, quid facto opus.
Magno in periclo, particeps periculi
Solus ſapit. nil cæterorum deſides
Solertias moror. quibus facti carens
Diſerta lingua, futiles voluit ſonos.

AMAZONES.

Nos imperata facere, noſtrum ducimus.
Tuum eſt monere, quid velis facto exequi.

PEN. Communis alea, expetit communem opem.
Servile non eſt munus, armorum labor.
Nec vinculo hoc quicquam eſſe ſanctius poteſt.
Vitæ necisque quo fides ſe mutua

Revincit,

Revincit, & fortunam in omnem devovet.
Nunc hoc videte quid ſit expeditius.
Belli ad cruenti venimus commercium.
Res hoſtium hactenus cluit felicior,
Afflictior res Troica hi, prout ſolent
Victi, pavoris anxii ſunt compotes.
Illos ſuperbos efferunt victoriæ.
Spes ultima in nobis. vel horum imbelliam
Redintegrare, vel hoſtium ferociam
Reprimere. qua via id gerendum, hoc artis eſt.
Manumne conferamus omnes cum omnibus?
An ſola ſolum quempiam lectiſſimum
Optabo, & uno rem paciſcar ſanguine?
Prior modus vicem meam ſecurior
Fors fuerit, alter iſte honori & nomini
Illuſtrior, votoque & ingenio aptior.
Quid cenſeatis certiorem reddite.

AMA. Hera fortitudinis modum præſcribere
Ei, qui in illa totus eſt, perarduum eſt.
Tamen vel impigerrimæ pollentiæ
Nunquam obfuiſſe cautionem congruum eſt.
Proinde nec tu fræna ſic audaciæ
Permitte, ut omnem ſegreges prudentiam.
Illudque comprimis vide, non hic tua
Regna eſſe, verum adeſſe nos hic hoſpitas.
Nec inchoare bella, quin iam perſequi
Dudum inchoata. nec tenere principem
Locum, ſed auxilii quaſi eſſe appendices.
Vt non neceſſe ſit priores poſcere
Partes, vel anteire velle cæteros.
Tutiſſimum expectare, qua nos collocent
Statione, quidve muneris geſtum velint.

PEN. Rebus ſecundis ire tutam ſemitam

 Veriſſi-

Veriſſimum eſt, adverſa res exorbitat,
Nec tramitem fixum ſinit decurrere.
Quod huius vrbis fata poſtulant quoque.
Quam pæne iam procella ſtravit ultima.
Vt ni recentis auxilii lux protinus
Affulgeat, nunquam ſeipſam vindicet (gat.
Metu ex ſupremo, nec animos ſponte eri-
Videſne ut omnes ora convertunt ſua
In me unicam? ex nobisque ſumant ſpiritus?
Vt qui moretur, aut ab illis pendeat,
Illosque ſeque prodat, & mulcet malo.
Conandum & audendum eſt, vel ipſa occaſio
Non deſerenda comparandæ gloriæ,
Scythicique late proferendi nominis,
Græcanicam quod deprimat ſuperbiam.
Stetiſſe Martis filiam, contra Deâ
Satum marina, virginem contra virum.
Non indecorum, nec feretur ſordidum,
Vtinamque ſolum ſola poſſim apiſcier.
AMA. Quocunque te virtutis indoles tuæ
Producet, hac ſequemur. aſt conſidera,
Erroris aliquid ne pariat inſcitia.
Quando nec arma, uſus neque armorum, neque
Belli gerendi ratio, qua hoſtis utitur,
Nobis ſat explorata ſit, ne forſitan
In retia incurramus imperitiæ,
Pœnasque debitas temeritati demus.
Idcirco ſingularis ad certaminis
Dubiam fidem te protinus deſcendere
Non ſuaſerim, antequam periculum hoſtium
Faciamus, atque conſeramus cum omnibus
Omnes manum. interim ducis te munia
Obire potius cenſeam, quam militis,

Laudis

Laudis paratur unde maior adorea,
Artisque bellicæ facultas cernitur
Illuſtrior, complura quippe millia
Armare, quam ſævire privum, pluris eſt.
PEN. Quanquam aliud animus geſtiebat aggredi,
Tamen impetrari non gravatim a me id ſino,
Ne ſpernere obſtinate amicos iudicer.
Quando quidem & ipſa inſomnii divinitas,
Videre quod ſum viſa nocte proxima,
Veſtræ diſertim congruit ſententiæ.
Videre nam ſum viſa me in faciem leæ
Mutari, & irruere in greges promiſcuos,
Stragemque late fundere, & ſerere fugam.
Tandem virorum congredi cum acri manu,
Qui ſe impetus contra meos ferro obvii
Vltro offerebant, & petebant vulnera.
Quidamque eorum proruens fidentior,
Mucrone convolabat in pectus meum.
Me muniebat dextera Pater meus.
Nam coram adeſſe viſus eſt. Mavors mihi,
Et me admonere, & adiuvare aperta ope.
At ſomniorum inanias fruſtra arripit,
Qui corde non pollet, nec olim partam habet,
Labore gnavo eventuum peritiam.
Damno ancipes mortalium ſolertias,
Qui luce quod, quodque vigiles volvunt palam
Plerumque tranſmittunt ſupinis viſibus,
Nec perſequuntur mentis acrimoniis.
Caligo ſed quod noctis, & fallax ſopor,
Inſomniorum protulit ludibriis,
Id curioſa quæritant indagine,
Hoc vota temperant ſua, & vitæ modum.
Me nulla vanitatis huius arguet

Dies,

Dies, ſat ardor inſtruet me pectoris,
Fraudique nulli fortitudo obnoxia.
Vos adiuvas dictoque reque quando mî
Fortuna conceſſit mea, & veſter favor,
Non eſt metus rei gerendæ perperam.

AMA. Conſentiant, diſſentiantne, hæc quæ vocas
Inſomniorum & noctium ludibria,
Cum ſanioris conſilî experta fide,
Parum intereſt, hoc intereſt, ne dum nimis
Contendimus, feramur in præceps nimis.
Periculoſus factus eſt belli alleæ,
Nec error admiſſus mederi ſe ſinit:
Juvare amicos, non præire cæteris
Huc venimus, ſevanda ſunt iura hoſpitii,
Potiusque ſpectandum quid ipſi nos velint,
Præſtare, tum demum eminere ſtrenuas.
Dicto audientes pulchrius victoriæ
Sequuntur, importuna facta non probo.
Nam ſi evenit labi, ad malum, noxa inſuper
Accuditur, crimenque adeſt diſcrimini.
Nec ſim prior, nec hæream inter ultimos.
Sermonis at non eſt locus, ubi eſt facto opus.
Phalanx tua ut parata pranſa ſit vide.
Ne quid moretur, ſigna ſi vellenda erunt,
Armisque noſtris inſtruamur nos ſimul.
Cedamus intro, poſt foras prodibimus,
Cultu rigentes ferreo, ut fortes decet.

CHORUS.

Opulentia, unicum
Mortalium Solatium;
Curaque perpetua,

Vtcunque

Vtcunque vulgus anchoram
Te ſacram atque portum
Tutiſſimum vitæ autumat,
Fortunæque reponit
Paginam in te utramque
Vento ſecundo ſeu placidus fluat
Ævi lepor, ſeu ruinam
Difficiles faciant procellæ.

ANTISTROPHE I.

Ego te nec aurea
Gaza, nec affluentiis
Omnigenis metior,
Nec copia rerum ubere.
Namque rectius tu
Sinu in benigno te locas
Fidos inter amicos.
Quem armat hæc corona
Vere ille dives, vere opulens mihi,
Theſaurus ingens amici.
Pauperies, caruiſſe amicis.

EPOD. I.

O Troia, o Priami domus,
O ſtructa divûm Pergama dextera,
Quamvis cruenta vos premat neceſſitas,
Enſisque late ſæviat hoſticus,
Non tamen interitu ſupremo,
Vos damno, quando in tempore
Talia præſidia, & ſociorum
Opem paraſtis commodam.
Qualis virago hæc, ſeu potius Dea,

Flavo

Hoc adprecatur rex tibi, hoc omnis ſimul
Populus, patresque & quidquid hic eſt gentium.

PEN. Soſpesne rex quietis hauſit munia?

TAL. Quin iam tui videndi habere copiam
Peroptat, atque cauſa ea me nunc tibi
Præmiſit, adventi eius ad te nuntium.

PEN. Quin iuniores nos adire eum decet.
Ævum ſenile nempe honorem hunc poſtulat.
Et iam, niſi importuna ſum futura, me
Ad limen eius confero, tu ſis vide,
Ne permoleſtæ adſimus, inque gratiis.

TAL. Pauliſper hic ſubſiſte, donec quippiam
Profamur, & mandata pauca exponimus.
Quantum ſibi gratetur & quantum tibi
Debere ſe ſe intelligat, quod illius
Amica rebus veneris duriſſimis,
Metiri ab animo potius, & ſancta fide,
Non ex lepore dictionis ſplendido
Verbisque factis affabre ut velis, rogat,
Hoc & ſecundis, & tuis contrariis
Rebus probaturum palam ſe ſe autumat.
Vt promptus atque gratus opera mutua
Sit perpetim, ſtringitque ſe hoc nexu tibi.
Nunc hoſpitalis parva iuris pignora,
Lubente ſumas ut manu, poſcit volens.
Monumenta maiorum ſuûm. hos olim ſenex
Laomedon arcus Hercule a magno tulit,
Quum conſtruendis urbis huius mœnibus,
Se præbuit perquam benignus, & favens.
Vtcunque poſt hoſtilibus factis ferox.
Ipſæ ſagittæ cum pharetra munus eſt
Apollinis. clypeus opus Vulcanium.
Hic balteus, Vulcanius labor quoque

Aa Hunc

Hunc insuper Neptuniæ propaginis
Addit sonipedem, prosequens hoc omine,
Vt hostium victrix ubique illo cluas,
Semperque te mactes superba adorrea.

PEN. Non est quod abnegem, pudore me affici,
Munem quod erga me prior se se offerat
Rex optimus, quam operæ meæ periculum,
Aut commodum ullum potuit experirier.
Verum ille liberalitate gaudeat
Sua. mihi duplex onus video inditum.
Et pro mea virtute iaciendæ aleæ,
Et gratiæ eius munerandæ æquam vicem.
Vtinam eius hisce sive donis inclytis,
Seu gratiis illustribus sic perfruar,
Vt summa ad illum, summa ad hanc Rempublicam
Et quemlibem vestrûm redundet faustitas.
Sed convenire, & alloqui ipsum pervelim,
Occasionibus moræ nequid vacet,
Rei gerendæ neve tempus effluat.

CH. Venire Priamum, iamque præsto esse hic puta.
Jam turba prævia incipit præcedere,
Satellitumque promicat grex hastifer.

PRIAMUS.

O Virgo cani isti mei, & florens tua
Ætas, videtur hoc mihi permittere,
Vt filiæ te apellem amico nomine.
Vtcunque dignam te geras honoribus
Primariis, nobisque nunc venias prope
Numen salutare atque præsentaneum
Quantoque tu paratior nobis ades,
Tanto tibi maiore nos accedere

Curaque

Curaque ſtudioque & ſalubris conſilii
Fide expedita, prorſus eſt æquiſſimum.

PEN. Non verba cedere, aut inanes nominum
Jactantias huc aucupari venimus.
Sed ſtrenuam navare opem rebus tuis,
Seu filiæ tu me loco, Rex optime,
Seu inter aſſeras amicorum gregem,
Vtrumque nobis fuerit, haud aſperrimum.
Præſtanda, non eblandienda eſt gratia,
Quisquis ſe amicum nuncupat plana fide.
Quin hoc agamus potius, ecquid facto opus,
Qualive profligandus hoſtis ſit via
Quæramus, aſtutumque certi quippiam
Statuamus, & negotio addamus manum.

PRI. Negare non licet, quibus nunc in malis
Verſemur, anceps arbitrandi ut ſe offerat
Ratio, nec explicare ſe ſinat ſatis.
Audaciæ ne, an cautionis ſit locus.
Celare nec mihi liquet luctum meum,
Quo nunc perempto ex Hectore orbus opprimor.
Qui murus huius urbis, & ſacra anchora,
Et terror hoſtium vigebat unicus,
Is occidens tantos reliquit hic metus,
Vt nemo non periſſe iam ſe ſe autumet,
Troiamque ſperet funditus procumbere.
Hincque ambigendi occaſio ſtrepit frequens,
Tentanda ne, an ſinenda ſit belli alea.
Recentibus modo hoſtium ferociis,
Noſtræque fortunæ reciproco ſtatu,
Nam corda proſternas, nec erigas ſtatim.
Viresque laſſas, tutius tradas fugæ,
Quam præliorum creduas diſcrimini.

PEN. O rex procax ſit & ſui æſtimans nimis,

Qui nesciat quid sit pavor, quantumve sit
Fidendum anhelo pectori victos apud.
Verum hanc vicem vel maxime summa eminet
Virtus ducum, cadavera & promiscuas
Inter neces, stragemque & excordes fugas,
Victoriam, & trophæa pulchra quærere.
Persæpe lapsi, perculere interritos
Victoribusque erepta de manu palam est
Victoria. amittenda præclaræ rei
Nunquam est potestas, nec iacendum ictis semel.
Plerumque res secundior, lentissimam
Supinitatem, & oscitantiam invehit.
Nimisque securos, propinat cladibus.
Redintegranda semper est mens strenua,
Nullaque de spe animosior rapienda spes.
Hæc unica est salus, salute inperdita.
Quid quod minutis casibus, vel maxima
Momenta bellorum, frequenter verti amant?
Quid quod inopina audacia, alias acerrimos
Infregit, hancque iecit aleam aptius.
Negare non licet, manu & vita unius
Fortis viri, vel stare vel cadere alios.
Hoc pace videas, inque tranquillo foro,
Hoc signa, remque duram apud duellicam.
Nemoque laudem hanc dempserit magno Hectori,
Quin ille murus fuerit, & vita omnium.
Postquam sed illum infestior Mars abstulit,
Iniuriam fieri illius fortissimis
Non credo manibus, si in eius se locum
Sistat quis alter, & mora nulla impigram
Continuet operam splendido vestigio.
Tollendus est dolor recenti vulnere.
Metusque in herba comprimendus protinus,

Ne

Ne ſe efferat, longasque radices alat,
Vix eximendus intonato pectori.
Quo mi videtur eſſe conſultiſſimum,
Vel civium, vel hoſtium cauſa, illicet
Audere, & urgens aggredi periculum.

PRI. O Virgo, pro me quando militat tua
Virtus, modum conatibus tuis dare
Non eſt meum. rogare te ſaltem eſt meum.
Noſtram ſalutem dum tegis, ne negligas
Tuam, nec occupes prius pericula,
Quam tota belli ratio tibi perſpecta ſit.
Ne quod per inſcientiam incurras malum,
Mihique mœrores, & ærumnam augeas.
Mei quidem omnes tibi aderunt, quocunque te
Vocabit excellens tui voti vigor.
Conſulta ſed præire factis convenit,
Viresque noſtras cognitas velim tibi.
Vt ſcire poſſis, quid queant præſtare, quid
Nequeant, quantumque liceat illis fidere.
Hoc amplius, præſtolor auxilia nova,
Quæ nunciantur indies mihi adfore.
Rex ipſe nempe Memnon, Aurora ſatus,
Ætiopum abuſque finibus longiſſimis,
Adducit omnes huc ſuos exercitus.
Fidesque certa eſt, non procul iam tendere,
Caſtris ſecundis veniet aut tertiis.
Illo recepto, viribus iunctis ſimul,
Paratiores fors fuerimus, & mage
Hoſtem aggredi poterimus, intrepida manu.
Idcirco vos obnixius rogaverim,
Servare vires integras in illius
Pauliſper adventum, ut moleſtum non fiet.
Audaciæ robuſtiores plus valent.

Junctæ-

Junctæque dextræ se tuentur arctius.
PEN. Non una facies bella conficere solet.
Hæc mole, constructisque aciebus se explicant.
Fraude alia gaudent, & tumultibus geri.
Nonnulla furto, vel dolo, aut ficta fuga.
Fatemur esse quale nostrum patrium.
Proinde, non possum tuæ sententiæ
Non congruere, ne robur omne exerciti,
Discrimen in Mavortis hodie prodeat,
Quin arma præstolanda socia censeo.
Non hoc tamen vetare protinus potest,
Quin audeamus quippiam nos artibus
Nostris, tumultu sive, sive istud fuga
Confiat, hostemque haud sinamus vel diem
Istum quiescere, affatim ne gaudeat,
Neu se superbum tollat hoc rerum exitu.
Quin sentiat, superesse vel victis manum.
Sic & tuis paulisper abscedet timor,
Fiduciæque ad damna belli cætera
Toleranda, meliores in animos influent.
Pro me timorem ne geras prorsus precor.
Non primulum ista nempe ludicra ludimus,
Portam patere, potius actutum iube.
Dumque absumus, dum redimus ad te sospites,
Mensa hospitalis præsto sit, ne nos fames
Labore functas, plus satis pertorqueat,
Lætas & ipse lætus exceptas velis,
Sic spondet augurii optimi mens conscia.
PRI. Postquam videntur hæc tibi, voto tuo
Vtare, ego interim Deos precabor, ut
Te sospitem lætamque restituant mihi.
Tamen ex meis plerosque cape, dicto ut tibi
Sint audientes, & periculi adiuvæ.

Talti-

Taltibiæ, ad Æneam otius viam vora.
Manda ut maniplum velitum, unum atque alterum.
Expediat, & parere iubeat huic duci.
Reliquos in armis teneat, alam collocet,
Firmam ante portæ limen, ut potiſſimum
Incerta pugnæ ſunt, capeſſant ſi fugam,
Recipere ſe in tutum queant ſuperſtites.

STROPH.

CH. Mavortis rapidis fluctibus, & fero
Armorum quisquis ſe dedit arbitrio,
Et belli ſemel aream
Audaci pede preſſit.
Vtcunque velum torqueat
Fortuna inconſtantibus auris,
Ille iter invicto impete radat,
Neu cadat oppreſſus, ſanguineque in medio
Sumat acriora corda.

ANTIST.

Nil non reſtituit curaque pervicax,
Virtusque immoto ſtans pede, perque ruinas ipſas
Victrix immodico auſu. (ſtabilit gradum.
Rebusque ſe arctis aſſerit.
Nec ſpes ſe inſinuat, niſi ubi anceps
Eventus cepta ardua gaudet
Miſcere, atque vocare in dubium, alacri
Illa geſtit ire vultu.

EPOD.

Et trahit ad meliora
Blanda ſimul, ſimul atrox

Horta-

Hortatrix, nec in ipſa
Morte relinquit.
At qua rite ſuas locavit arces,
Et ſolido ex adamante,
Fixit pectoris aulam
Regnatrix ratio, caſibus aſperis
Non tantum ſe credere quærit.
Fiduciamque concipit lætam ſui,
Omnia quin oculo deſpicit altivolo.

ANAPOESTI.

Solum obſervans mentis honorem,
Illæſo liberrima ſenſu,
Non vi non obnoxia fraudi,
Non pellace cupidine fracta,
Late partem provida in omnem,
In re crepera curæ vacua,
Ingens animis, impigra facto.
Humana in diſcrimina pugnax
Diis minor, ipſo de Jove pendens.
O qui cœlo fulmina torques,
Et bellorum flectis habenas
Sanci tandem fœdera amica.
Et da finem, metamque malis.

ANDROMACHA.

Cupido vitæ, tuque ſol pulcherrime
Qui lumen hoc nobis fruendum commodas,
Quam blanda amoris illecebra ſenſibus
Illaberis noſtris, & avidos detines?
Vt mole quamlibet malorum aſperrima
Premamur,

Premamur, & ferendo vix ſimus pares,
Tamen tueri pervicaces quærimus,
Hoc corporis quaſi carcere in teterrimo
Animam miſellam, ingratiisque vivimus.
Vel mi quis uſus lucis hoc dono frui?
Quæ nulla ſum, quæ ſum umbra, & umbræ ſomnium
Interque vivos functa pæne obambulo.
Nam caſſa coniunx, morte deiecto viro,
Non illa viva ſed perinde eſt mortua.
Tamen reluctor funeri concedere
Pacemque apiſci, morte finitis malis,
Dulciſſime Hector, nam tibi fortiſſimi
Nomen vel omnes affatim dant cæteri.
Tu mel meum, meus fuiſti tu lepor.
Quando cruentum auro redemptum ſupplice,
Te genitor infelix reportabat domum,
Atque in ſepulchri collocabat limine,
Cur non cruenta victima ad rogum tuum
Vna occidi, huncque ſpiritum peſſum dedi?
Vel mortuales inter, æternum tibi
Coniuncta, tecum uno beata funere.
Teſtor fidele pectus, & dextram tuam,
Mihi benigne cognitam, hoſti fortiter.
Optaſſe, nec vitaſſe me hanc fati vicem.
Quin uſque ſuſpirare pulverem ad tuum.
Sed me puſilla, vagiens nati tui
Detinuit ætas, editi ſatu tuo.
Orbus parentum, ne miſellus debita
Alimoniæ careret ope, ſanguis tuus,
Olimque ſervaretur ad necis tuæ
Juſtam ultionem, vel manu eductus mea.
Vtcunque matrum cura mollior cluit.
Neque educare eſt nata fortes ſpiritus.

 Deſer-

Desertus omni parte ne tamen foret,
Operamque saltem nostram haberet anxiam,
Habere quando non licuit aptam tuam
Manum magistram, subque te florescere.

ASTIANAX.

Vai, vai, vai, vai, vai.

NUTRIX.

Puppe meus, puppulle meus, mi
Blandule puppe
Mi Astianactule, mi mellite,
Mi dulcissime, mi pulchellule,
La, la, la, la, la, la,
Vnde tibi flendi ista libido?
Num te facies terruit aliqua?
La, la, la, la, la, la,
AST. Vai, vai, vai, vai,
NVT. En tibi mammam.
En solatia,
En mella tua,
Siste lachrimulam
Preme vagitulum,
AST. Vai, vai, vai, vai,
Num te lumine lævo, lævus
Oculus feriit? qualia multa,
Pusos misto in populo infestant.
Siste lacrymulam
Preme vagitulum.
La, la, la, la, la, la,
Mi Astianactule, mi mellite,
Non te pusus lætior alter,

Non

Non lachrymarum parcior alter.
Vnde hæc flendi tanta libido?
Etiam hoc uber delicias tuas
Aversaris? La, la, la, la, la, la,
AST. Vai, vai, vai, vai,
AND. Huc huc illum mihi, promptius fletum premet.
Ades, meus, meus tu, ades, da mihi osculum,
Da mihi ulnulas, appinge te ad me pressius.
Fili, meæ ærumnæ unicum solatium,
Ob quem misera vivo, nec alias viverem.
Dicamne te sentire, in hac ætatula?
Quæ damna nos circumtonent, quibus malis
Premimur, orbitatis extremo in gradu?
Quali viro ego, quali parente tu heu miser,
In limine ipso infantiæ deiectus es.
Ideone fletum tollere amas? iam quasi
Iram Deorum, & damna nostra intelligens.
Omitte nunc sensum mali, carere quo
Potes, vel ævi propter ignorantias.
Molestiarum olim satis superque erit
Exhauriendum, quando te anni proferent
Cædis paternæ vindicem, cladem hostium
Columen, iubarque nunc ruentis patriæ.
An ista spes est lactea? ut lactis modo
Tu particeps, ceu prima flores herbula
Maturitatis fruge debita procul.
Incerta veluti cuncta sunt mortalium,
Nec in futurum sponsionis est fides
Condicta fatis hac & hac labentibus
Ancipite, præsertim duelli in area.
Quam magna vortens, sævus exercet Deus.
Modo his, modo illis, annuens victorias.
Qui nunc nefanda strage nos pessum ruit,

Voluitque cladis ad fupremæ terminos.
Nam ni finiftra mens difertim me monet,
Non eft labor, quin Troia funditus cadat,
Nosque enfis hofticus hauriat promifcuè.
O fili, ego haud me verterim meam vicem.
Quin mortis expetam potiri munera.
Libensque linquam lucis hoc blandum iubar.
Seu fponte, five fit cadendum vi improba.
Tibi mifello, eheu, tibi metuo nimis.
Ne te procella belli, adhuc vitæ infcium
Honore vitæ privet, & fternat nece.
Verum ferenda fors vel ipfi infantulo eft
Suprema Divûm, quam iubet neceffitas.

NVT. Regina, cui fatale vulnus accidit.
Mentemque ftravit infueta calamitas,
Non miror effe corde prorfus faucio,
Nullasque fpes deinde poffe admittere
Secundiores, quin mifer fit perpetim.
Mœror metum parit, metus nec confilii
Compos, nec ullius bonæ artifex rei eft.
Mirum neque eft, tantis malis te obnoxiam,
Animo iacere, nec dare ærumnæ modum.
Nam coniugis tanti carens, quid poftmodo
Speres, vel optes, non reperias protinus.
Damnare privatis fed infortuniis
Totam falutem publicam non congruum eft.
Fortes viros pro Patria cadere, novum
Non eft, nec aliter ifte ludus luditur.
Gnaviffimum quemque decimari præliis
Vulgo ferunt. Vxorculas imbellium
Plorare non folere, vulgo itidem ferunt.
Aio effe iacturam vel ufque maximam
Decedit urbi quando vir primarius.

Rarissimum si quidem boni est istud genus.
Sed unius non est opus respublica.
Quæ continetur omnium virtutibus.
Vtcunque sæcla defluunt mortalium,
Perennat immortalis ipsa iugiter.
Viroque vir succrescit, & generi genus.
Et Troia stabit, & hostium victrix cluet.
Vix esse desperatione pestis tetrior
Potest, manum quæ proicit præceps nimis.
Durare nec constante sustinet gradu.
Non Hectoris sint ista dicta opprobrio.
Qui solus antistabat omnibus palam.
Herois, haut mortalis os dium gerens,
Totamque molem sustinens duellicam,
Habere fortes insuper Troiam viros,
Qui nos tuentur, & tuebuntur satis.
Vel ista, sanguis ut ferunt Mavortius,
Quæ copiis advenit auxiliaribus
Subnixa, non permittit omnem funditus
Spem deseri, nec ultimo sterni metu.
Tantis videtur eminens audaciis.
Pelidem ut ipsum provocare sit potis.
Servilis, ista quæ loquor, non fortean
Sunt Judicj, qualem me ego esse sentio,
Verum hæc habet felicitas heroicas
Domos, liceat ut sapere in illis cuilibet.
Nec humile quicquam musitant vel servuli.

AND. Solatiis, aut suasionibus, etiam
Ratione nimis non rata, aurem pandere
Quisquis negat, præsertim in adverso statu
Fortunæ, eum hominem ego esse plane haud di-
(xerim,
Tam pertinax lubido blanditur spei
Quæ morte in ipsa dicitur non linquere.

Neque

Neque sermo mi tuus odio, vel tædio est.
Mihique partes hoc loco mendacii
Assumpserim potius, tibi concesserim
Vel veritatis vel boni vaticinii.
Eventus hoc tantum annuat benignior.
Ac cætera in dictis tuis non improbo,
Assentiorque sæpe fieri humanitus,
Istamque lampada ab his, ad alios currere,
Troiamque non prorsus carere fortibus
Viris, vel exopto, vel agnosco libens,
Quanquàm Hectoris mei careat acri manu.
Verum istius viraginis, quam prædicas,
Quæ se cohorte cum puellarum huc tulit,
Subsidia tanti non facio, ut illis putem
Troiamve servari, aut Achivos repprimi
Posse. ut libet iactantiis superbiat,
Reique bellicæ scientem se efferat.
Quin contigit mihi illius vanam vicem
Vel condolere, vel prope misereſcere.
Ad mensam heri dum regiam vino calens
Modo hosticis ignes minatur navibus,
Exerciti modo totius stragem & fugam,
Ipsumque domitum hasta, cruentum Achillea
Lorîs trahendum tota circum Pergama.
Tunc mi Hector ante oculos meos, sed lachrimæ
Jam me obruunt, ille Hector, ille patriæ
Murusque columenque ille fulmen hostium,
Quantus vigebat corde, quantus viribus,
Tamen momordit terram Achillea manu.
Fabarque mecum. quos misella spiritus
Gestas, quibus turgescis animis inscia?
Tun' contra Achillem stare? tun' vultum illius,
Orbesque sustinêre luminum igneos.
Rugamque frontis inquinatam cædibus,

Hastæve

Haſtæve declinare ſis potis impetum?
Jam te, miſella, iam tuor, mollem velut
Celſis columbam præditam volatibus.
Quam mox aperto conſequutus æthere,
Acceptor acer, tollit inſultu fero,
Roſtroque frangit, unguibusque eviſcerat.
Tantum miſella te video, quantum modo
Video. ubi portæ limen extro ceſſeris,
Non iam tui videndi erit poſt copia.
Sed fœminarum gens ſumus, more hoc moro.
Speramus antiſtare virtutem virum.
Noſtrasque longe tollimus ſolertias.
Domeſtica hoc in re, hoc reprendas cæteris
Negotiis, neque ſat foris quieſcimus.
Plane inquietum fœminæ ſumus malum.
NVT. Subſiſte paulum, Æthram video recta gradum
Huc ferre; non fruſtra eſt; citum movet pedem.

ÆTHRA.

Regina ab Helena ad te venio. ſi ſit tibi
Cordi, venuſto perfrui ſpectaculo.
Quâ præliantes fœmina exercet viros,
Lateque miſtis ſtragibus pugnam ciet,
Ne differas adeſſe turrim ad Dardanam.
Ibi aula tota, regiæque omnes nurus,
Cum Rege Priamo, deſuper viſu aucupant
Fortiſſimæ viraginis miraculum.
AND. Verone portis iſta muliebris phalanx
Pedem extulit? bellique ſe in fluctus dedit?
ÆT. Vt gloriari liceat illarum impigro
Facinore, vel noſtri uſque ſexus gratia.
AND. Solæne? an armis Troicis auctæ ſimul,

Fuere

Fuere martis æquor in duellicum?
ÆT. Orabat ipſa, nempe ſola cum ſuis
Vt laudis hoc referre poſſet præmium.
Sed Rex negavit. ſcilicet diſcrimini
Experta nondum cuius eſſet orbitam,
Primo pedatu protinus, ne ſe ſuo
Periculo præceps nimis permitteret:
Idcirco noſtri exerciti pars maxima
Vna ivit, ivere & duces primarii.
Verum ipſa præ cunctis, qua equo lectiſſimo,
Inſignibus qua armis, palam longe eminet,
Non virginis, ſed fulguris faciem gerens,
Quod Juppiter de nube ſpargit ignea
Venti furentis nuntium, aut pluvii ætheris.
At tu vel oculis debeas multum tuis.
Eimodi ſi te expleas ſpectaculo.
AND. Non eſt modo operæ, funerum ſat vidimus,
Quando Hector heu meus, vigebat viribus.
Nunc fletuum potius mihi tempus datum
Divumque ad aras ſupplicem procumbere.
Condicta quin hæc eſt dies perpluribus
Nobis. Minervæ numen ut voti reæ
Mactemus excellente pepli munere
Jamiamque lecta pompa virginum venit,
Donum gerentum, & ſonantum cantibus
Quarum choro me par quoque eſt adiungere.
Helenæ ſalutem ex me, atque amicam gratiam.

COETUS

COETUS

FOEMINARUM PEPLUM FERENTIUM.

Hanc tibi Virgineis manibus, Tritonia Virgo;
  Contextam pallam, ſplendida dona tua,
Præferimus, pedibusque tuis veneranda ſacramus.
  Supplice cum voto, ſupplice cum titulo,
Clara Gigantæi referentem ſigna triumphi.
  Cum tua dextra altum ſtraverat Enceladum,
Sideribus mediis iam iam caput inſertantem.
  Et pugno cœli percutientem adita.
Te nos armorum dominam, te bellipotentem
  Dicimus, inque tua fidimus uſque manu.
Sis felix, urbique tuæ ſuccurre ruenti,
  Et nos rite tuo contege præſidio.
Ilî vel propter quonquam florentis honorem:
  Cui tu divini munera Palladii
Sedibus æthereis miſiſti, & condere gentem
  Nomine mandaſti de proprio Iliacam.
Hicque tibi poni voluiſti ampliſſima templa,
  Vt tuus hic ſedem ſemper haberet honos.
Suffice nunc, animosque tuos, dextramque potentem.
  Sisque favens virgo: virgineis opibus.
Atque hanc, quæ duri ruit in certamina Martis,
  Cumque viris audet conſeruiſſe manum,
Aſſere. fac illam victoria læta reportet,
  Hoſtili multo ſanguine conſpicuam,
Hectoreæ ultricem cladis. da ſævus Achilles
  Ex eius loris pendeat, atque rotis.
At nos pulchra ſalus, & pacis mitior aura
  Muniat, & triſti ſervet ab exitio.
Sic tibi perpetuis ſurgat nova gloria ſæclis.
  Sic tuus in noſtra laude perennet honos.

NUNTIUS.

Priamum, vel Æneam, vel ipſum Antenorem
Vbi ſim reperturus doceri pervelim.
Negotii adeo urgentis eſt neceſſitas.
CH. Quid eſt, quod apportas novi, fare otius.
NVN. Moramini, vos ſcire primas non opuſt.
CH. Verbo tamen, quo ſit loco res expedi.
NVN. Bono loco, noſtra in manu eſt victoria.
CH. O ſancta Pallas, adiuva nos ſupplices.
NVN. Fac miſſa verba, hoc quod rogo mone ſi potes.
CH. Hac nuper Æneam meantem vidimus.
NVN. Inermem an armatum & paratum prælio?
CH. Pro more nempe obire ſtationes puto.
NVN. Hac flexit? anne illac? ut accelerem aſſequi.
CH. Ellum haut procul abeſt, atque vertit huc gradum.

ÆNEAS.

Quis eſt requirens hic meam præſentiam?
Num in acie aliquid anceps repentinum accidit?
Multa evenire qualia hoc ludo aſſolent?
Is tu es? loquere; veniſne pugnæ ex turbine?
NVN. Ipſiſſimis denſiſſimisque ex cædibus.
ÆN. Fugæ potitus, & neci te ſubtrahens?
NVN. Hæc probra deſertoribus ſint congrua.
ÆN. Quæ cauſa te ergo, huc ut venires perpulit?
NVN. Feliciter geſtæ rei eſſem ut nuntius.
ÆN. Vt tempus eſt, vix prælium acceptum autumo.
NVN. Quin tota profligata iam res eſt prope.
ÆN. Multa inchoantur fauſtiter, fini occidunt.
NVN. Promiſcuam fugam hoſtium iam vidimus.
ÆN. Quid ſi hoſtis ad caſſes doli ſimulat fugam?
NVN. Multo coactus ſanguine, eiectus loco eſt,

ÆN. Ste-

ÆN. Stetitne ſtructa acie atque in ordinibus fuit?
NVN. Nil tale metuentes, tumultu oppreſſimus.
ÆN. Subitariam, haut ſtatariam pugnam refers.
NVN. Ex impetu fortuna noſtra omnis ſtetit.
ÆN. Quod impetu ſurgit, novo impetu ruit.
NVN. Durum eſt redintegrare verſum poplitem.
ÆN. Forte in vagum vulgus datus fuit impetus?
NVN. Infeſta conferre arma vulgus non ſolet.
ÆN. Exercitum fæx multa comitari aſſolet.
NVN. Fugam calonum forte tu iſtam cogitas?
ÆN. Subita procella non rapit fortes viros.
NVN. Multi cruoris & laboris res fuit.
ÆN. Cæcus furor belli eſt. videt quæ non videt.
NVN. Rem ſi audies, uſum manu & oculo aſſeres.
ÆN. Noſtine Grais quempiam ex primoribus?
NVN. Et nomina, & vultus, repræſentem omnium.
ÆN. Tumultu in iſto cognitus quiſquam tibi eſt?
NVN. Ferrum vibrabat Merion iuxta hoc latus
ÆN. Potes ſecundum nominare aut tertium?
NVN. Tytiden & Idomenea vidi propalam.
ÆN. Iſtine cum aliis terga verterunt ſimul?
NVN. Promiſcuos videre non memini in fuga.
ÆN. Viſusne Achilles indidem aut Aiax tibi?
NVN. Hac non fuere, qua fui; neſcio alibi.
ÆN. Non contigiſſent talia his præſentibus.
NVN. Quid ſi Deorum quiſpiam nos ſublevat?
ÆN. Opis Deorum noſtra duntaxat ſaluſt.
NVN. Verum admovenda eſt cum Diis manus quoque.
ÆN. Hoc agimus, utinam non profundamus operam.
NVN. Sed tam celer qua decucurri huc gratia,
Et me tuis offerre quæſivi auribus,
Si te volente proloqui liceat, loquar.
Veniam ad te deprecatus impudentiæ,

Quod imperatorem monere miles haut
Dubitem, tuæque obganniam ſapientiæ.
ÆN. Præfationes amputa, fare numero.
NVN. Qui rebus auxilia miniſtrant perditis,
Feſſisque ſuccurrunt recentata manu
Paſſim omnium mortalium fit moribus.
At proſperas res, ſponte ſecurus tui,
Fortunæ in ipſo curſu & in portus vado,
Dum difluunt, & cautiones negligunt,
Plerumque videas intimo elapſas ſinu.
Nam læta & impotens ſui felicitas
Facile remittit cordis acrimoniam
Spatiumque dat rurſus relabendi ad malum.
Victoriæque ipſæ, cruore plurimo
Partæ, modo intermiſſione paucula
Aut horulæ breviſſimo reſpirio,
Mox in ruinam ſunt volutæ præpetem.
Vt non minus ſint fulciendi orſus boni.
Quam quando triſtis obruit neceſſitas
Quocirca, & hanc vicem, ut ut hæc fuga hoſtium
Evenit, & ſpes ſe extulit victoriæ,
Veſtigio premendam, & urgendam ilicet,
Novisque ſubſidiis fovendam cenſeam,
Nullamque dandam copiam ullius moræ.
Adeoque tu ipſe cum tuis legionibus
Illuc ut evoles diſerte optaverim.
ÆN. Recte mones. perſæpe damnum hoc præbitum eſt
Victoriis, partæ modo, ut partæ haut forent.
Dum perſequendi atrox labor remittitur.
Neque hoc loci plane alia mea ſententia
Fuerit, ſi ita eſt ut prædicas, fugam hoſtium
Factam, uſque & uſque ut opprimantur viribus
Novis, nec habeant copiam interſpirii.

Sed

Sed non meum eſt ſtatuere de hoc negotio:
Regem te adire opuſt, eique exponere,
Quicquid ſtatuet, ad iuſſa nos præſto ſumus.

STROPH.

CH. Fæcunda rumorum creatrix,
Pollens præpete penna,
Inſignis linguis centum
Publica fama,
Verumne nuntium per ora totius
Troiæ excitaſti?
Fuſas, fugatas, ultima
Strage, hoſtium catervas?
Pauſamque bello funditus inditam:
Quod nos decennali fatigabat metu.
An mens anxia credulam
Plus ſatis ſe præbet ad id, quod optat:
Sermonibusque gaudium vanis fovet.

ANTISTROPH.

Imago mi mentem retentat.
Si quis lumine læſus,
Obſcuretur palpebra
Sole carente,
Longumque tædium in tenebris horridis,
Omnis ſalutis
Evanida ſpe devoret.
Si forte vel Deorum
Benignitate, aut opera manus
Medentis, aſpectet iubar fauſtum poli.
Quanquam non ſolida face,
Et mali parte haut minima relicta,
Lætum tamen ſe ſe gerit vel hoc bono:

EPOD.

EPOD.

Rumoris huius, particulas itidem
Aliquas, utinam liceat legere,
Fruar vel ipſo dimidio libens.
Cæno tenaci efferre protinus pedem
Fortuna nulla, nulla fata permittunt,
Primis principiis premenda damna.
Poſtquam furorem in curriculum acrius
Miſeris, nullas ſonipes habenas,
Non currus aurigam audit.

COETUS

FÆMINARUM CUM PEPLO REDEUNTIUM.

DEIDAMIA.

Paulum moremur, nec relinquamus chorum.
Eſt quod monere, quod dare in medium velim.
Conſiſtite, & parumper inhibete hic gradum
Auresque mi præbete, dum quædam eloquor.
Qui ſe Deorum ad præſidia conferre amant,
Totasque ſpes pietatis in ſinu locant,
Eos ſapere, partesque perſequi optimas
Exiſtimo. nam cum Deorum maxima
Pollentia, & potentia, & præſtantia
Sit, opumque theſauros manu omnes in ſua
Teneantque, poſſideantque propitios ſibi
Qui illos habent, habere ab illis omnia
Credo, neque ullum maius autumo bonum.
Odiſſe tamen ipſos Deos ignaviam,
Et quos amant, beare per ſolertias,
Gnavisque deſudare velle laboribus.

Conſtans

Conſtans opinio eſt. in hoc quin vertitur
Virtutis omnis ratio, qua nemo ſine
Beatus aut felix ſatis cenſendus eſt.
Idcirco noſtra præ viris iniquior
Sors æſtimatur, quæ veluti ad ignaviam
Damnatæ, & incluſæ pudendum in carcerem,
Servare limen, & domi ſeneſcere
Neceſſe habemus. dum viri & Reſpublicas
Late gubernent, & gerant bella inclyta,
Et glorias quærant, opesque ſplendidas.
Quaſi vero nobis, vel manus planas quoque
Vel brachium, vel oculos, vel humerum
Vel cordis acrimoniam & ſolertias,
Vel quicquid illis ſuppetit, negaverit
Natura, & hîsdem muniis percommode
Sufficere poſſimus, quibus viri eminent.
Ineptiores forte an Mavortis ad
Negotium putemur, idque ob virium
Imbelliam roburque non firmum ſatis.
Verum hæc quoque ærumna atque contumelia,
Eidem latebræ, deſides qua includimur
Eſt imputanda. quid? viri omnes ſcilicet
Ad bella ſunt aptiſſimi & fortiſſimi?
Minore in ævo, ut quisque ſe ſe exerceat
Ita gnavus, aut imbellis ætatem terit.
Nam robur eſt quoque munus aſuetudinis.
Neque dubium eſt, ſi exerceamur nos quoque
Ad fortitudinem, fore haut lentiſſimas.
Vel hæc Amazon, ſpecimen iſtius rei
Præbet ſatis; quæ, more quia gentis ſuæ
Eſt inſtituta; penſa non producere.
Non aſſidere fuſo, & ignavæ colu,
Vibrare ſed ſecurim, & arcus tendere,

Ferocis

Ferocis aut verſare fræna ſonipedis,
Nunc vel ducis primarii implet munia;
Vel militis fortiſſimi: tamque ſtrenue
Adverſum Achivos dura in acie rem gerit.
Vt finierit omne iam bellum prope.
Totam per urbem vera ſi rumor canit.
Sermonem eum, qua cauſa apud vos fecerim
Nunc expedibo. Quid ſi ad exemplum illius
Sumamus animos, atque corda fortia?
Et fœminæ, ſequamur, ipſam fœminam.
Non tam futuræ forte prælii adiuvæ,
Quam, quod magis reor potituræ ſimul
Certiſſimo victoriæ conſortio.
Vel ultionis gratia; quam perſequi,
Lacerare & ipſos mortuos, dulciſſimum eſt.
Nam quæ doloris non habet cauſam ſui?
Hæc orba filiis, thorum hæc viduum gemit.
Vel fratre, vel parente plurimæ carent.
Multæ propinquis nulla non iuſtum gerit
Vulnus, gravem in vindictam ut exardeſcere
Non debeat. rapiamus arma, quæ offeret
Præſens furor, moræque non demus locum.
Occaſiones clara facta provehunt.
Res maximæ puncto labaſcunt temporis.

COE. Placet, placet ſententia: utamur foro.
Moram amputemus, vindicemus funera
Chariſſimorum. ſuavius nihil ſiti eſt
Juſtæ ultionis; geſtio haurire hoſtium
Fœdum cruorem; imitemur inclytam ducem.
Et gloriam noſtri efferamus ſæculi.

THEANO.

THEANO.

Quæ iſtæc malum eſt inſania? aut ubi eſt pudor?
Quo ruere pergitis? gradum ſubſiſtite.
Locum date potioribus ſententiis.
COE. Præclara facinora impedire non licet.
TH. Præclara non ſunt, quæ pudorem negligunt.
COE. Telum neceſſitatis eſt duriſſimum.
TH. Neceſſitatem ſæpe confingit furor.
COE. Multam moram facis tuis ſapientiis.
TH. Senecta me vobis monet ſuccurrere.
COE. Tuam ſenectam ſemper obſervavimus
TH. Obſervat is, qui auſcultat, ad mentem redi.
COE. Occaſionem perdimus, miſſa hæc face.
TH. Occaſio non omnis eſt fidei bonæ.
COE. Nimis viam qui quærit, amittit viam.
TH. Quo ruitis amentes? ruinam quæritis.
COE. Igitur doce meliora, quando plus ſapis.
TH. Qui vult doceri, oportet eſſe ſeria
Mente atque defæcata, & aure libera.
Non impedita ſuaſionibus malis.
Idcirco, non tantum pede, ſed animo magis
Conſiſtite, & levate vos reſpirio.
Te affabor imprimis puella Antimachia.
Et ſubmonebo erroris, in quem te intulit
Fervor iuventæ, vel viæ inſcientia,
Imitamen, in qua podeſsit, vim maximam.
Vertens utramque paginam, vultu pari,
Bonam, malamque, proſperam atque improſperam.
Contra malam, perſola cautio hæc viget,
Nec improbos, nec impares ſectarier.
Ab improbis, maligna vita accerſitur,
A diſparibus adverſa. quæ lædit tamen,
Inſignis & præclara licet appareat.

Venuſta naturæ ruat concinnitas.
Multisne agam: deſes domi vir ſi hæreat,
Ignaviæ non effugiet atram notam.
Si fœmina vagetur foris, nil turpius
Devotiores nos ſumus; frequentius
Delubra Divum ideo ſolemus viſere.
Prout modo ad pulvinar almæ Palladis
Acceſſimus: mutemus obſecro ordinem.
Ad templa confluant viri; noſter chorus
Deſcendat in Mavortis aream trucem;
Abſurditatem præter & turpes vices,
Periculum hinc utrisque cladesque ultima,
Crèétur. hanc ſi quis Scytham viraginem
Prætendat, & miretur; arbitrio meo,
Iſta ſtudia, neque huic convenire iudico.
Vtcunque more Patrio eſt exercita,
Producit ut natura monſtra; verum ea
Perrara, ſcævique habita ſemper ominis,
Res pariter eſt monſtroſa, miles fœmina.
Communibus vita eſt peragranda orbitis,
Naturaque inſequenda dux certiſſima.
Artisque factitandus aſuetæ modus.
Lausque aucupanda de labore congruo.
Vtcunque bellatrix ſuperbit maxima,
Tamen vel illa ſoſpes utinam ſe efferat
Loco ex tam atroci, in quo virorum fortium,
Ducumque ſummorum iacent tot funera.
Næ vos miſellæ non perieritis male
Muſcæ velut, peſſumdate pogonco.
Dextella quarum vix aciculam ſuſtinet.
Nedum vibraret pondus, haſtæ aut ſpiculi.
Cedamus in domos, coloque ſtrenuam
Manum applicemus, fœminas frugi ut decet.

Viris & arma, & ultiones & graves
Iras relinquamus, ſecundum Divûm opem.

MONOSTROPHICA.

CH. Sermone in ſapientum
Audivi memorari
Nil tranquillius eſſe
Magno mari; inſolentia
Ventorum niſi perturbetur.
Væſaniamque fluctuum
Concipiat, miſeris diſcrimina nautis.
Vrbibus in magnis populorum
Perſimile ingenium eſſe.
Blanda ut pace fruantur,
Pacati, lentumque quieſcant.
Seditioſæ animæ author
Donec inſurgat, gravidam tumultu
Trahens procellam, & bene compoſitos
Miſcens fluctibus aſperis.
Tunc videas ignobile vulgus
Cœtus cogere, concurſare,
Frænum excutere, poſcere tela,
Non patriæ, aut legum meminiſſe,
Ruere in pernitiem, certamque ruinam.
At ſi furentibus, obviam ſe ſe offerat
Magna viri facies, quem
Splendor & vitæ gravitasque morum,
Et meritis illuſtria facta,
Commendent; mox limphatos
Multiat fando, rabiemque demat.
Stent arrecti, ponantque iras.
Et priſtinæ quieti

Dedant

Dedant se se
Vnicus vir, corde pollens,
Vrbibus totis salutem
Impertit; hunc si fata demant,
Jactura maior vix potest recenseri.

MILES Saucius

Me miserum, ach, ach, o miserum me,
Quod vitæ generi huic me addixi,
Militiamque sequi potius, quam
Tranquillum ævum elegi ducere.
O gloriola,
O vitæ aucupium vanissimum,
Fraude tua hæc in retia veni.
Nunc miser ex te hæc præmia capio.
Vulnera, sævum, artûmque cruorem.
Quin vicinum funus præsto est.
Me miserum, ach, ach, o miserum me.
CH. Quid hoc rei est? de prælio hoc vulnus refers?
MIL. Non de popina, non fori de circulo.
CH. Hæc sunt virorum condimenta fortium,
Imbellium haut Mavors moratur sanguinem.
MIL. Me miserum, ach, ach, o miserum me.
O bellum, o pernities maxima.
Quisquis te prior humanum in genus
Introduxit, næ ille leonum
Cor gessit, vel dirius etiam.
Orci tu thesaurus per te.
Mors messem facit innumerabilem,
Nunc florem ætatis miseræ meæ
Detruncasti. pereo, pereo,
Jam deficio, iam deficio

Tenebræ

Tenebræ involvunt oculos, o ſol
Non te iam video, ſolvuntur
Frigentque artus, cado iam cado.
CH. Deceſſit; haſtæ vulnus hoc eſt per femur.
Ecce alterum venire ſaucium, & alterum.

MILES alter Saucius.

O vulnus dum te reſpicio
Fatalemque horam mihi adeſſe
Jamiam video, non hoc moveor,
Quod migrandum e vita eſt iam tum
Primum, cum militiæ nomen
Conſecrabam, pro ſtipendj
Pretio, deponebam vitam.
Inque aciem, non alia mente
Deſcendebam, quam ut redeundum
Non ſperarem. quippe ubi ferro
Res agitur, ferri expectanda eſt
Lex & vis, vitam qui alienam
Appetit ibidem deſtituat ſuam.
Legibus itaque belli pareo
Æquo animo, & vim fati amplector,
Quanquam decimus eſt hic annus,
Ex quo ſaxum hoc volvo illæſus.
Fecit hoc vel Divûm alma benignitas,
Vel virtus & dexteritas ducum,
Quorum ductu, atque auſpiciis, pedem
Semper ſoſpes retuli ex omni
Diſcrimine. nunc ſub Duce nihili
Interitu communi, veluti
Fluctu hauſtus ſum, & pereo inglorius.
O fœmina, quæ te peſtis dira

Attulit

Attulit in noſtras regiones.
Tua ſuperbia, tua ſtultitia,
Clade ſuprema, nos oppreſſit.

CH. Mi miles indolem tuam fortiſſimam
Admiror. at miſereſco fortunam ſimul.
Stragemne noſtri nuncias exercitus?

MIL. Vt me vides, de cæteris ſic iudica.
Oſtentatio & ambitio duæ
Humani generis funeſtæ
Clades, quam fœdare ruinis
Gravibus vitam omnem ſoleatis.
Tum præcipue inter belli ardua
Stragem exercetis, ſi quando
Dux ſtolidus ſe imperio ingeſſit.
Inſuetusque manu trepidante
Prendit habenas.
O Diva, o fulgenti pollens
Ægide delubri huius Præſes,
Inclyta Pallas, numen mihi ut in
Vita, ſic in morte colendum.
Miſeram hanc animam leni paſſu
Permitte ægros deſerere artus,
Et tranquilla in ſede repone.
At vos amicæ, cura ſi qua vos tenet
Labentis in mortem, & trahentis ultimum
Anhelitum, deducite hinc me aliquo in locum
Solum; vel ad viciniam fani iſtius.
Ne ſpiritum ſævo æſtuantem vulnere
Efflem ante veſtra lumina, & ſpectaculo
Tetro, cruoris inſuetas inquinem.
Amabo, prende dexteram, & dum adhuc datur
Movere vivum poplitem, hinc me ſubmove.

CH. Imo

CH. Imo ad medentis te manum deducimus.
MIL. Spes nulla; tanta vulnerum vis opprimit,
Jam iam auferor, duc quæso, subduc otius.
CH. Ite, hinc & hinc, utrumque subtus brachium
Manum indite, & qua iusserit deducite.
Pium laborem sumere, addecet pias.

TERTIUS MILES Saucius.

Juppiter, aut tu, qui bella regis
Omnia vertens, maxime Mavors.
Vtcunque mihi, vulnere acerbo
Vita eripitur; tamen hoc nomine
Justas vobis grates reddo.
Quod me hæc intra mœnia vivum
Et spirantem, concessistis
Inferre pedem; ne coruis &
Canibus fierem turpe obsonium.
Neve carerem sorte sepulchri.
O Patria, o longe dulcissimum
Natale solum, suscipe inane
Hocce cadaver, suscipe vilem
Corporis umbram; quando animis &
Sospite dextra, salvam & sospitem
Te præstare negatum est; non hoc
Miseret, quod pereo; hoc mage miseret
Quod coram video interitum tuum.
Et ruo, te iam iamque ruente,
Nec iustitiæ me solatur,
Oculus; quin morte ipsa, mortis
Causa asperior trepidum concutit.
Nam sceleri alieno vitam nos
Impendisse ecquis non iudicat?

Ni Patriæ

Ni Patriæ erroribus involvi,
Et commune malum, omnibus æque
Impingi, iubet arcta necessitas.
O Priame, o quondam, non solum
Magnorum Regum ast hominum omnium
Felicissime, dum te ætatis
Vigor, & consilii alta potestas
Florentem, immotumque fovebat.
Omnes læta pace tegebas,
Nec tempestas ulla gubernîs
Læva tuis incurrere amabat.
At postquam anni deteriores,
Mollius & te concurvavit
Senium, concessisti imperium in
Muliebre, & Juvenum natorum
Proiecit væsania frænum.
Hinc flamma irrequieta malorum
Prosiluit, teque & nos hausit
Exitio, extremaque ruina.
O Domus, utinam te pede firmo
Tangam, & vitæ relliquias tuo
Dulci in gremio fessus ponam.

CH. Permiserisne? si tibi supponimus
Manum, atque limen ad tuum deducimus!

MIL. Si feceris, beneficium summum mihi
Præstiteris; ach cruore te fœdo effluens.

STROPH. I.

CH. Quisquis humanum genus ad colenda
Jura mutui consortii
Deduxit; atque nexibus
Adstrinxit vitæ socialis,

Vt domos, ut urbium
Ponerent fundamina,
Moribusque & legibus
Obnoxiis ſacratis
Cum choro virtutum venerabile ævum
Degerent, pacis ſimul atque belli
Conſtitutis munimentis.

ANTISTROPH. I.

Næ ille Divini precium laboris
Sæcla per mortalium vagà
Vulgavit. an tantum hoc decus
Eſt acceptum Jure ferendum
Orbis ipſi condito-
-ri? manu qui præpoten-
-ti, propages viventium
Quum proderet, cohortes
Cæteras brutorum animantum ad unum
Nempe veſcendi officium vocavit.
Atque humo preſſit ſupinas.

STROPH. II.

Ventrem ut parentem agnoſcerent
Tantum; & vivere privo
Ævo, uſque quaque poſſent.'
Aſt hominum ſobolem altiore
Edidit partu, rationis almæ
Compotem, àd cœli ſupremas
Sedes uſque animo penetrantem,
Oris honore, aptaque loquela
Ornatam; ut genitoris

Laudem

Laudem ſui, lætiſſimo
Munere linguæ concelebraret.
Cœtibusque congruis
Inter ſe ſe agitaret
Vitam beatitudinis
Virtutumque capacem.

ANTISTROPH. II.

Neceſſitatis inſuper
Telum ex corpore nudo
Infixit, ut iuvamen
Alter ab alterius labore
Quærerent, atque inde operæ ac amoris
Induerent arctiſſima vincla.
Artes omnigenæ hinc caput extu-
-lêre; hinc omnibus oris
Sudatur & decurritur.
Omniaque in medium cumulantur
Non greges citos rapit
Formicarum adeo ardens
Cupido; acervos dum congerunt
Æſtatem per amœnam

E P O D.

Farris opimi: ut curæ innumeræ
Deproperant hominum ſatagentum,
Aſt non omnibus aurum
Conferre fulgens, aut nitorem gemmarum
Conceditur, viliſſima
Rerum, etiam veniunt in uſum.
Non tamen ullius præſtantis pondera gazæ
Anteſtant preciis

Prodigam virtutem animæ; quietem
Dum Patriæ, dum templa Deorum,
Fessos dum amicos, eripit
Hostium ex charibdi.
O mihi militiæ nomen sanctissimum, & o tu
Semper Juventus inclyta
Quæ nec morte fugis nostram munire salutem.
Dii tibi propitii sint
Et his, & olim oris beatioribus.

ÆN. En quo relapsa est tam repens victoria?
Mussanda sed sunt Principum deliria
Vtcunque damnis persoluta atrocibus.
At nunc, quod instat, ne hauriamur ultimo
Periculo, ite quo suum quemque evocat
Munus, volate in mœnium pinnacula,
Volate propugnacla in alta turrium,
Sint expeditæ machinæ, sint undique
Intenta tela, militum sueti globi
Portasque & arcem sepiant custodiis,
Fremat tumultus omnibus vicis palam
Ad arma, ad arma conclametur, horrens tympanum
Tubæque tristes, dent sonorem turbidum.
Ne improvidos hostilis impetus obruat.

NVN. Orci tenebras & specum infernalium
Advenio linquens, ultima tantum absui
A mortis orbita, ut perisse crederem.
Hoc profuit, quod cladis esse nuntium
Voluere Atridæ, eaque gratia mihi
Cessere vitam; posteaquam cæteros
Omnes neci obtrusere, quoscunque in manus
Venire vivos contigit marte ex fero.
Adeo cruentas victimas promiscue
Jussu videbam publico mactarier.

Me præter

Me præter unum, ſorte ſemotum ancipe.
Sed obviam eccum habeo ducem optimum
Æneam, ei effabor malorum hunc turbinem,
Quo perperam eſt ſtrages patrata exerciti.
ÆN. Quid eſt? quid adfers? fare, nil ſponte occule.
NVN. Elinguis utinam iſtam vicem & mutus forem
ÆN. Malis ferendis iam ægra mens occaluit
Non eſt, quod auri poſtules te parcere.
NVN. Vis magna tam triſte impoſuit onus mihi,
Vita redemptum nuntium vobis fero.
ÆN. Hoc iam liquet, victoriam eſſe hoſtem penes,
Noſtros potitos cladis, & turpis fugæ.
NVN. Clades fere omnes abſtulit, paucos fuga.
ÆN. Occidionis ſæva damna prædicas.
NVN. Sic res habet, tam arcta incidimus in retia.
ÆN. Inſeſſor an vos miles oppreſſit dolo?
NVN. Nullæ extitere inſidiæ, aperta vis fuit.
ÆN. Aciene conflictum eſt, & inſtructa manu?
NVN. Acie, nec acie, cæca mens nos perdidit.
Et verius vis inſolens, quam prælium.
Artisque militaris inſcientia.
ÆN. Num Scytica diſciplina non ſatis cata eſt?
NVN. Feræ impotentes prælientur cautius.
ÆN. Armatus hoſtis copiam pugnæ dedit?
NVN. Vagum atque palantem per arva invaſimus.
ÆN. Bellum futurum neſcientem ſcilicet.
NVN. Nec cogitantem, nec paratum ullo modo.
Plerique tuti obambulabant, plurimi
Spolia legebant, aut rogis ardentibus
Tumulisque mandabant ſuorum corpora,
Vulguſque paſſim errabat; ut fieri ſolet
Victoria parta, & patratis cædibus.
Quum noſtra Dux, non arte belli, aut ordine,
Non

Non more ſtructis congruo legionibus,
Signisve prolatis, tubisve canentibus.
Clamore ſed duntaxat, & voce horrida,
In barbarum furens modum, præfulgidam
Vibrans ſecurim, cum ſuis prima evolat,
Turbamque late penetrat inpromiſcuam.
Imbellia & vaga in pecua ceu trux lea,
Necibusque cædibusque miſcet omnia.
Totisque campis fundit atrum ſanguinem.
Nos conſequimur, atque irruimus. una illicet
Cuncti; ordinibus itidem, atque lege prælii
Neglecta, ut effera & voracia agmina
Sturnorum eunt clamore acuto, peſſimam
Prædam petitum de racemis dulcibus,
Sternuntur, obtruncantur, ut quisque obvius,
Cadunt inermes, ſtruibus implentur ſola
Cadaverum, rivis cruor paſſim ruit,
Turpem in fugam vertuntur omnes, qua patet
Latiſſimus campus, Scamandri ad littora.
Nos inſequi, nec facere cædium modum
Ad caſtra donec ſtragis illatus pavor
Eruptioque noſtra ſatis apparuit.
Jamque ardor occidendi ad ipſam fluminis
Ripam, impetu nos tulerat effuſiſſimo.
Neque hoſtium a tergo, neque memores ſui.
Sævire Amazon, atque ovare cædibus.
Nosque incitare pervicam ad ferociam,
Magis, magisque ardebat, amens uls modum.
Prodire caſtris interim Græcanicus
Exercitus, portisque fundi ex omnibus.
Et terga noſtra perpeti circumdare
Indagine; neque ſenſimus claudi prius
Ferri ſagena; quam exitus nullus ſuper

Relictus,

Reliꝿus, ut minimam fugæ daret viam.
Vallante frontem verticoſo flumine.
Duces volare viſi, & adſtruere aciem,
Lentoque lunata admovere gradu agmina;
Aiaxque, Achillesque altaque vis Vlyſſei,
Geminique Atridæ, & cætera heroum manus.
Mox diſſipatos ſegreges, male avios,
Feſſosque anhelosque impetu rapidiſſimo
Petunt, trucidant, vulnerum vi proruunt.
Ceu atra nubes, fœta dira grandine,
Ventique turbinisque perperam potens,
Segetis adultæ verberat propaginem,
Totasque ariſtas in ſinum terræ quatit.
Nec tempus horæ unius amiſſum exiit,
Quam internecio noſtrum omnium palam edita eſt.
Partem fluvius abſorpſit in præceps datam.
Vivi in manus vix venimus pauciſſimi.
Itidem fugæ beneficium vix abſtulit
Pauciſſimos; in caſtra quotquot ſunt tamen
Rapti, capite dedere pœnam omnes trucem
Me præter unum; quem iſta ſervavit fides.
In urbem, ut huius cladis irem nuntius.

ÆN. Quid ipſa Amazon? in poteſtatem hoſtium
Viva eſt recepta? an cecidit inter cæteras
Strages? humumque momordit ore frigido?

NVN. Achillis haſtâ occiſa, fortem ſpiritum
Effudit uno, haud altero, iꝿu ſaucia.
Nam ubi undecunque vidit a noſtris fugam
Fieri, & tumultum turbidum increbreſcere,
Graiosque pervulgare cunꝿa cædibus.
Stupore paulum, vel pavore conſtitit
Incerta; pedibusne etiam, equoque fideret,
An cordis acrimoniis ſtaret ferox.

Mortem-

Mortemque quæreret media per vulnera
Vitamque non inulta in acie amitteret.
Dum volvit hæc, & anxie ſecum autumat.
Jamjam illi Achilles imminebat arduus.
Succinctus impigerrimo Juvenum globo
A queis caterva Scythica, vel fœdam in fugam
Dicto otius dabatur, aut orci in domos
Truci premebatur nece, ſatura vulnerum.
Aſt ipſe Pelides feris obtutibus
Solam occupabat Ponticam Viraginem.
Quæ milibus totis, ſuorumque agmine
Nudata, varios huc & huc orbes, equo
Spumanti agebat, nec ſatis ſtabat loco.
Quam comminus nactus, oculis ut voceque
Poſſet laceſſiri, ioco ſic increpat.
Heus heus puella Pontica, heus, huc huc ades.
Cupidus tui iuvenis vocat te, heus huc ades.
Mavortii teli appetens, non Venerii.
Hic illa, ſeu furoris œſtro percita,
Pudoreve externata, equum calcaribus
Adurget, impetumque plane acerrimum
Facit in Achillem, tum bipennem ter quater
Infligit in galeæ moras, ictu irrito,
In fragmina ut chalibs volaret protinus.
Tanto arma Achillei valebant robore.
Perfecta fida olim arte Lemnii ſenis.
Miſſa bipenni, haſtilibus manum admovet.
Iactuque iaculatur prope infeſtiſſimo.
In pectus adverſum viri; ictus hic quoque
Vmbone fruſtratus nihil noxæ tulit.
Namque illam ineſcans, tela clypeo ſcilicet
Duntaxat eludebat, & dabat moras.
Rimatus opportuniorem ſpiculi

Sui

Sui impetum; nec arte ſueta falſus eſt.
Namque irruens, ipſam in papillam condidit
Ferrum, per uſque cordis intimos ſinus.
Momento ut halitum ultimum flaret, & equo
Rueret, nec amplius ſui compos foret.
Labentem Achilles, a ſuis ſumi in manus,
Situque quam decente deponi in ſolum
Præcepit, omni parte tecta corporis,
Ne virgineus honor pateret uſpiam.
Delapſus ipſe equo, & parumper lumina
Faciemque contemplatus; o Virgo miſera
Quæ te mala, inquit, mens, virorum in prælia
Coniecit? aptius fuiſſes inclyta
Mater familias, & domum auxiſſes tuam.
Nec ſpolia legere, nec arma quenquam tangere
Sivit iacentis; quin datis cuſtodibus,
Servare tutam iuſſit, ornatu integro.
Flammam in duelli ipſe, inque confertiſſimas
Strages relapſus, cædibus ſe immiſcuit.
Nec iam diuturnus ſuperfuit labor.
Fuſi, fugati, occidionem ad ultimam
Omnes redacti, aut fluminum torrentibus
Hauſti, nefandis conciderant mortibus.
Magnusque clamor perſonabat undique
Feri, feri, occide, occide, cave parcere.
Nondum diei flexerat meridies
Quum cuncta profligata, ſtrata corporum
Fœdis acervis, plena cladis cerneres.
Tuba interim receptui cœptum cani.
Campoque in ipſo Principes omnes viros
Præco advocabat regium in Tentorium.
Præſto frequentes adfuere: mox datum
Edictum in omnem exercitum; ne quis caput

 Vivum

Vivum hoſtis aſſervaret, aut ſi acui foret
Captivus eum regi illico fide bona
Vt traderet, pauci illico ſunt traditi.
In queis ego quoque: ſorte dein cenſi ſumus.
Quis iret, atque verba Troiam non bona
Deferret; ut victoriam Græcos penes
Stetiſſe ſcirent; pacis ut ſilentium
Eſſet perenne; fœderis ne mentio,
Ne nuntiorum miſſitatio foret.
Non poſtulatio ulla, ne cadaverum
Sepeliendorum quidem, aut cauſa pia.
Venire ſi quis audeat, caduceo
Tutum haut fore imo capitale extemplo fore.
Hæc ferre iuſſo, præmium vitæ datum eſt.
Producta turba alia, capite pœnas luit.
Nec parcitum cuiquam eſt, tam atrox perſæviit
Vindicta, iura ut gentium peſſum daret:
Mox aliud edictum editum eſt: ut militi
Præda univerſa cederet; cadavera
In flumen ut raperentur, eſca piſcibus.
Omni ſepulchri deſtituta munere.
Neque mora, quum nudiſſimi, turpiſſimum in
Modum, trahebantur, tetroſque in vortices
Præceps dabantur, flumina ut conſiſterent,
Meroque ſpumarent cruenta ſanguine.

ÆN. Etiamne Amazon tale ſupplicium tulit?
NVN. Quin prima tracta a publicis lictoribus,
Vnaque cum illa cæteræ viragines.
ÆN. Nudæne? an habitus ſexui debitus honos?
NVN. Non ſat ſcio; fieri ſpolia vidi tamen.
Equumque duci Vliſſis a famulitio.
ÆN. Non illa Achilles iure poſſedit ſuo?
NVN. Neque id ſcio, tantummodo ex tentorio

Vidi

Vidi periratum exeuntem Achillea.
Vultu feroci flammeis obtutibus.
Remurmurantem fervidas fecum minas.
Rumor ferebat, iurgio intentiſſimo
Egiſſe, ne crudele quidquam in mortuos
Decerneretur, neve conſcirent nefas.
Quod iura abhorrerent Deûm & mortalium.
Eaque cauſa, contumelia excitum
Terſitis, in malam eius impegiſſe tam
Pugnum valens, ut dentium illico omnium
Sputum faceret, atque ante feſſimonii
Ora, exanimis, & vix hians procumberet:
Quid poſtea actum, non liquet mi dicere.
Mox namque iuſſus ire ſum, & rapere viam.
Nec diffitear iviſſe perceleri gradu.
Nec terga poſt vertiſſe flexa lumina.

ÆN. Hac me ſequere, regem ut adeas, atque omnia hæc
Sermone quam veriſſimo renunties.

STROPH. I.

CH. Supra querelas, & lachrymas ſupra
Omnesque luctuum modos,
Exarſit hoc incendium.
Stupore torpeſco, nec orbitam ſpei
Amplius ullam diſpicio, quæ
Exitum ab interitu ſupremo
Præbeat; o Patria, o creatrix
Dulciſſima o ſanctiſſima
Pergama? ſtructa manu Deorum,
Jamiam vos ruere ultimo
Excidio, iam funditus exſtir-
-pari video; nec ſubſidio
Vllum amplius locum dari.

Flammeus iam vos vortex vorat.
Iam ferrum in vobis dominatur.

ANTIST. I.

Humana quando præſidia omnia
Niſu irrito in caſſum ruunt
Seque opprimunt lapſu ſuo.
Sperare nam Deorum opem, vaniſſimi eſt
Iudicii, quum crimine læſam
Mentem habeas, ſcelerique nullam
Conſtituas ſine fine metam.
Nec corrigi te poſtules
In media feriente pœna
Felix, qui potuit manum
Noſſe Deorum, & vindice flagro
Admonitus, mox ad meliora
Reflexit errantem pedem.
Obſtinatus neve obduruit.
Is cœlo contendere palmas

EPOD. I.

Supplices, egens opis poteſt.
O iuſtitia, o pacis amicæ
Genitrix veneranda,
Tu ſola bellorum gubernas nomina,
Victoriis tu ſola cultores tuos
Beas. ruinis
Contra fatigas,
Qui iura conculcant tua.
Tandem illabere mentibus
Regum meorum, ut præſidio tuo,
Aureæ pacis gremio reponi
Pietate non vana expetant.

Jeſu Chriſto laus & gratia.

PENTE-

PENTESILEÆ EPITAPHIUM.

Merſa Vndis, Superata Armis, Dum Fœmina Sexum
Contra Contendo, Fœmina Sic Perii.
Stultitiæ Exemplum Muliebris, Quod Monet Omnes,
Metiri Vt Proprio Se Pede Quisque Velit.

IN NUPTIAS
SIMONIS BIRKOWSKI
ET
SOPHIÆ MOZDZARSKÆ.

ZAMOSCI *in typographia Academiæ excudebat Martinus Lenſcius, Acad. Typogr. Anno Domini M. DC. XIV.*

ERgo Bircovius blando conceſſit amori?
Coniugis & ſe ſe contulit in gremium?
Non illum Pæon potuit felicibus herbis
Servare ut liber lectulus eſſet ei,
Non Muſæ. aſt teneræ potuit iucunda puellæ,
Purpureis facies æmula ſola roſis;
Atque ebori, aut niveo facies ſimul æmula lacti,
Poſſeſſum, placito nectere ſervitio.
Gaudeat ut cupidum nomen captare mariti,
Et ſpernat vacuo ſe cubuiſſe thoro.
Et medium feſta quærat ſe oſtendere pompa.
Pompa, quam lætus conglomeravit Hymen.
Dicamus bona verba; pias iam venit ad aras
Virgo, puellarum concomitata choro,

Et Matrum.

Et Matrum. iustæ sobolis quas optima cura
Excitat, humanum ne genus intereat,
Imo perennetur propter connubia sancta.
Nam nisi se matrum conferat huc opera.
Fluxa puellarum cessent lentissima vota,
Aut dilabantur deteriore via.
Huc ades & tu sponse, tibi iam magna Sacerdos
Verba præit, iam te ad fortia vincla vocat.
Qualia nulla dies demat tibi, nulla potestas,
Hoc mortis fuerit solius arbitrium.
Parcite, sed mortis, vel solum dicere nomen,
Hic, ubi formosus gaudia iungit Hymen,
Vitæ, quin potius longissima tempora vitæ
Optemus, sunt hæc omina coniugii.
Cernitis? ut roseo vultum perfusa pudore,
Auroræ qualis fax rosea ante nitet.
Sponsa verecundos terræ demisit ocellos?
Fallor? an & lachrimis commaduere genæ?
Non sunt tristitiæ, non sunt hæc signa timoris;
Lætitiæ ingenium verius indicium,
Intus quæ tacita se se dulcedine prodit.
Proditur a flammis ignis ut ipse suis.
Nec tibi non tremulam concessum est porgere dextram
Sponse, etiam vestro corde pavor micuit.
Et frontem pervulgavit sudorque madorque,
Linguaque non potuit verba diserta loqui.
Quin hærens, titubansque ægre sua vota recepit.
Audendum in mediis est quoque læticiis.
Non ego te trepido dubium quasi pectore damno,
Nec parvi crimen fingere posco animi.
Aut iura invitus quia tu divina capessas.
Mœstior e cœlo spiritus iste venit.

Qui

Qui poſtquam arrectis ſe ſenſibus inſinuavit;
  Atque ignis iecit myſtica tela ſacri.
Cor ſalit, attonito trepidant præcordia motu,
  Et tota extra ſe mens vaga ſurripitur.
Paulatim tandem redeunt virtusque vigorque,
  Pectuſque atque omnis vena quieta ſilet.
Proiice te ſupplex ante hæc altaria Divûm,
  Eſſe ſolent Divi ſupplicibus faciles.
Et crede, e cœlo rerum pulcherrima dona
  Præberi, e cœlo copia manat opum.
E cœlo vitæ ſplendor portusque ſenectæ,
  E cœlo optatæ pacis amica quies,
Et cornu fortunarum gazæque medulla,
  Et procul auditi nominis altus honos,
Ipſaque amicitiæ longe ſanctiſſima iura,
  Queis nihil in vita dulcius, aut melius.
Natorumque olim fructus ſobolesque beata,
  Funditur e cœlo quicquid ubique boni.
Atque ipſum tandem cœlum, & commercia Divûm,
  Panditur & ſuperum regia tota patens.
Dicamus bona verba, redit formoſus ab aris
  Sponſus, ab hiſdem aris Sponſa venuſta redit.
Non illum iam pervulgat ſudorque, madorque,
  Non illam lachrimæ, non pudor ambiguus.
Quin riſum meditari, & iam ſplendeſcere vultum
  Incipiunt; riſu ludere geſtit Hymen.
Ecquid te ſimilis tenuit labor inclyte Sponſe?
  Quando alto quis ſe flumine proiicere,
Et tranare cupit ripæ ulterioris ad oram.
  Non primo aſpectu non trepidare poteſt,
Et fluctus exhorrere & tentamina prima,
  Et ſenſu gelidæ pæne rigere novo.

Donec

Donec ſe tandem tentato audacior alveo
Intulit, & iacto corpore fregit aquas.
Tum vero ancipitesque metus vanosque pavores
Deſerit, & totâ brachia mole ciet,
Intentus magnum nando ſuperare laborem.
Principii tanti eſt alea iacta prior.
I quo Te genius duxit tuus, i pede fauſto,
Atque ævi faciles percipe delicias.

Simon Simonides Bendońſki
in Nuptiis Simonis Birkowſki
& Sophiæ Mozdzarſka faciebat.

EPITAPHIUM

GASPARIS GELASINI *vulgo* SZMIESZKOWICZ LEOP.
Philoſ. Doct. & Prof. in Alma Univerſitate Cracov.
à SIMONE SIMONIDA CONSCRIPTUM.

ORaculum urbis, iuris Antiſtes ſacer,
Legum ſequeſter, aureum os eloquentiæ,
Hic conditur GELASINUS humili ingens humo,
GELASINUS ille, cui nec ante habuit parem,
Nec poſt habebit quantacunque Civitas.

ODE

ODE

In Repotiis Illustrissimorum Conjugum.

THOMAE

DE ZAMOSCIO

PALATINI TERRARUM

KIOVIÆ, KNYSZYNEN. GONIĄDZEN. &c. &c.

CAPITANEI

ET

CATHARINÆ

DUCISSÆ

ALEXANDRI DUCIS de OSTROG

OLIM PALATINI WOŁCHYNIÆ &c.

FILIÆ.

ZAMOSCI

In Typogr: Academiæ excudebat SIMON NIZOLIUS
Anno Domini 1620.

IN ARMA

DOMUS ZAMOSCIANÆ.

Hæc tria miraris præfixa hastilia ferro,
Capripedisque cupis barbati noscere causam:
Eja age, capripedem, cornu ferit ille, caveto,
Et primumque time Gradivi hastile corruscum,
Nec velit inferior dici Bellona secundo,
Tertia rite sibi deposcit docta Minerva.
Bella ZAMOSCIADÆ, *& rerum prudentia maior,*
Vestris pro meritis, hæc vobis præmia donant.

O D E

STROPH. I.

PRocede obviam Heroi meo
Musa velox, canore
Dulciloquo pectus exercita:
Non semper clypeos galeasque rigentes,
Non aquilas. lituosque tristes,
Non Martem tunica tectum adamantina
Mirata: miremur
Idalium nemus: Paphiasque sedes,
Blando carmine canamus.
Et queis se blanda insinuat
Cura, pulchra parentum,
Vt virtus redivivo,
Palmite natorum,
Surgat terris sublimior.

ANTISTROPH. II.

Horum laude nunc te vindica,
Sydus o Musæ amicum.
Quid fuerit namque sublimius,
Ad dulces cytharæ celebrare recessus,
Pectora quam memori renovata
Mente, hinc eximiis pandere laudibus,
Grata unde se fundunt
Nomina, postmodum generis propage.
Sic & candida vireta,
Quæ se cælo conspicua,
Dant amœna per arva,
Non tantum proprii ausus

 Germine,

ANTIS. II.

Fulſiſti unicum tum illis iubar,
Concitaſtique amoris
Lampada, ſoli tuo nomini
Accenſam, atque ſuas celebrare Camœnas,
Nil niſi quæ propriæ tuæ eſſent
Laudes, attonito barbite amœna per
Arva, algidasque oras
Aure avida hauriebat amor, ſimulque
Centum ponere, dicare-
que aras, promtus numinibus,
Per patentia quæ te,
Expoſta atque pericla,
Ducere dignata:
In quo felices ſurgere

EPOD. II.

Tot ſpes, patria promicante culmo
Cernit, & votis, ſequitur beatis
Coniugii veneranda
Præſes, dux provida, porta renidens,
Vitæ ſerenæ flos, tua
Componat aura alma, fluctivagæ
Mentis, & vitæ procellas:
Tu donas beata, tu ſplendida
Sæcla, tu propagas copiæ olim
Vbere flore cornu:
Virtutum theſaurus audis, nam tua
Imperia, ſelectum
Florem, ac animos redivivos
Per progeniem ſæclis renaſcentem,
Alite ſuggerunt
Felici, inque patrum orſa

STROPH.

STROPH. III.

Ducunt, qua via eſt Cœli ad domos.
Nulla per vota ſic mi
Vt liceat, ſtare divum ad pias
Aras, quam ut faciles ſua munera larga,
Perpetuo cupiant vocare
Ad tales cumulos, & ſegetem boni,
Non ſolum ut unius
Dulcia gaudia accumulent calentem
Votis, iuſtaque vocantem
Mentem, quin communia, per
Pluraque illa benigni,
Illa o ſæcla nepotum,
Ire velint, ut flos
Communis, ſurgit pulchrior

ANTIS. III.

Vernantis coronæ per ſinus.
Ad ſuaves iuvat ſic,
Et memorandos Camœnæ modos,
Tyrrheni lapidis, rigidam ecce propagem
Atque gravem, ſuperas per oras,
Vdi fluminis, & Nereidum domos
Ferri, inſciam mergi
Pondere, quo tenax ſua ſe reſolvi,
Naturæ unio potentis
Non permittit; robora ſic
Junſta, non ſuperanda,
Nec tantisque periclis,
Obiicienda olim,
Blando auſu inſtillans mentibus.

EPOD. III.

Fruſtra divitis Jndiæ ſtupendas,
Vanus & vobis Arabumque gazas,

Solicitas

Solicitas prece tentem,
Et condam me laquearibus aureis,
Per clara ducta exordia,
Dextra perita, ſeu liquidis
Illa præfulgens colorum
Nimbis, marmorum ſeu prodiga
Arte: promicans frontisque honorem
Nec diadema cingat,
Et quicquid condit voluptatem ſinus:
Condiat amaram ni
Vitam hanc, vitreosque ſecundæ
Fortunæ animos, ſtillans amorem almum,
Perpetua fide
Conſors, æquiparanda

STROPH. IV.

Votis & beatis præmiis.
Voce docta Priene
Provocat, & ſuadet alta abdita
Mentis, ſegnibus haud ſtudiis adeunda
Tangere, dicere dum Biantem,
Supremum decus olim Patriæ ſuæ,
Pulchra addocet fama:
Naſcimur, en ſemel, neque bis datum eſt, ut
Naſcamur, tuaque cernas.
Tu ſolum Sydus rutilum,
Veritatis amicæ,
Et præſes genialis
Diva thori, æternas
Sola, & tollis mortalia

ANTIST. IV.

Mundi iura: dum, inſtar palmitis,
Flore fœcundo opimi,
Suaveolentisque plantarii,

Longam

Longam per ſeriem numerare nepotes,
Das patribus, ſimilique virga,
Florentem ſobolem, germine proſpero,
Virtutis excelſæ
Sufficis; illa priſca redire ſecla.
Illa o tempora beata,
Sit fas, dum iam progeniem,
Hoc capeſſere ſolum,
Hoc & nectere ſolum
Aſpiciam felix,
Qua cœlo portam candidus

EPOD. IV.

Dat limes, monitis patrum coruſcans.
Flore vitis pampineo novella,
Non amat exiguo, per
Terræ fragrantia iugera fructu
Adſtare , larga fundere
Aris deûm, larga vel populo
Uvido; illius brevique eſt,
Affatim liquore ſuccreſcere ,
Vt vetuſtiori, certa probra
Oggerat, illa quod ſit,
Sat fœcundi, proma vini parcior.
At ſterilis aufert quod
Ætas, cumulet trutinam mox
Sors altera, aſtant divitum menſis,
Dum bene fortia
Multo vïna, ferunt quæ

STROPH. V.

Ætatem, liquenteſque inchoant
Inde ſuccos. Superſtes
Niliacæ & regiæ per vaga
Mundi limina, fama canit, memorandum

Dans

Dans iter, unde animi cati plus
Surgant; alite dum ſat celebri ſuo,
Lunæ nitenti olim,
Paciferoque Maiugenæ ſacro, omni-
que oræ Niliacæ colono,
Pulchre audet ſecla inſtruere:
Ibis aligerum ſtirps,
Quo ſe pulchra Juventus
Allevat, & pulchro
Connectit vires robore,

ANTIST. V.

Heu diram mephitim, tum ſua
Membra, virusque tetrum
Spargere: ſed curva poſtquam appetit,
Deformis, titubans, carioſa ſenectus,
Purpurei redolere iam tum,
Floris delicias, ac hyacyntheo,
Longe halitu afflare.
An quia cana pectora, rite debent
Hæc præconia manere,
Sertumque hoc laudis capere,
Sola quod pede fauſto
Norint, per vada vitæ
Noxia, fulgenti
Ad portum ferri ſydere.

EPOD. V.

Felix me ſpeculis tuis reguſtem,
Mens bona, & cani modulis coroner
Conſilii, teneræ flos
Ætatis, purpureæque iuventæ
Fucus, levi colliditur
Aura, ſalutem ſuam occipiens
Inde, qua ſe accisa quondam,

Heu multæ memor procellæ, extulit
Cymba: dans curſus maris per turbida
Æquora, præivit cui,
Auguſta ſenum veneranda
Mens. Eia anime, & tu Muſa, pæana
Nunc animos iuvat,
Lætum concinere, almo

STROPH. VI.

Heroi meo: aude, quæ dea?
Quæ Cnidi lux? Charis quæ?
O radians quale ſydus? catum
Naturæ o operæ pretium, o iubar, affer
Aurea corradiata cunctis,
Optatis animi, ſecla vocantibus.
Non ſic ſerenum dat;
Velivolum mare, atque polum tonantem,
Ledæ par geminum, atra olim,
Dum nox pontum obnubit, & in
Ima, naufraga ſaxa
Mittit, ſydereum ut nos,
Os hilarat, nomen
que amſanctum maiorum tuûm.

ANTISTROPH. VI.

His nil ſanctius, nil & prius
Extitit, quam furentis
Hoſtis, acerbas minas, fortibus
Auſis, cædibus atque fugis ſuperare,
Et patriæ ſuper aſtra nomen,
Fama clariſona, ducere perpetim.
Olim & viget non ſic,
Herculeus labor, facies tremenda,
Quem nulla arguere rerum
Audet, quærenda unde ſalus,

Et ſibi,

Et sibi, & patriæ esset,
Fama ut se inserit astris,
Inclyta maiorum,
Queis consurgit nomen tuum.

EPOD. VI.

O NIMPHA astrigeri poli decus par.
Testis est ingens toties Scytharum,
Russii fracta procellis,
Cum CONSTANTINUS avus tuus, ut lux
Affulsit alma, hostem impiger
Frangens, fugans, cædium cumulis
Arva replens, patriæque
Charæ plena contulit præmia,
Debitæ salutis. Jam & rigentes
Perpetua nive, illum
Oræ miratæ, Tyrannusque efferus
Moschus, ad acerba orsa,
Nil dum obtinet: amplius ille,
Ne iam velit in se corda Gradiva
Tollere, bellaque

STROPH. VII.

Regnis suis. Altum sic comam
Explicat per virentes
Irriguæ sylvæ amores, teres
Ornus, sic & odoriferæ cyparissi,
Roscida ocyma super coruscant:
Vestra ut promicuit maxima gloria,
Inter virum cœtus,
Maxima semper, ardua seu vocarent,
Mavortis studia, amicæ aut
Pacis fœcunda otia: sic
Fertilis sequitur vos,
Laudum congeries, quam

Multa virent ſylvis,
Candentum florum germina,

ANTIST VII.

Veris ſub benigni tempora.
Dia NYMPHA, o beata, &
Aurea ſpes, corda noſtra occupat,
Tecum quin veniant bona gaudia nobis,
Mella fluantque cava illice, atque
Noſtra hæc floriferis vinea ſurculis
Florentior multo
Ibit, & hoc feret, radiis tuarum
Virtutum, ſatis amicis
Luſtrata, infauſtus ne oculus,
Feriataque inique
O mens, termitem olivæ
Arte mala expungat.
Quin iam plura & mirabimur

EPOD. VII.

Felices: venerabimurque acerris.
Vt domus felix vigeat ZAMOSCI,
Vt domus alma ZAMOSCI,
Orbe inclareat, velut inter opaca
Aſtra, eminet Latonia:
Prolis beatæ audiatque parens,
Prolis olim quæ paterna,
Incedens via, ſuæ gloriæ
Culmen unicum ponat, paterna
Perpetuo ingredi nor-
ma, hoc ut ſit certiſſimum omen tramitis
Illa quod Olympi altis,
Sic ſe domibus radiante.
Penna inferat, & ducat triumphos, qui
Tergeminas canant
Voces, Jö triumphe!

EMBLE.

EMBLE. I.

D E L P H I N U S.

Uxor corona domus.

ANchora dum mediis fulcitur fluctibus almo
 Robore Delphini, nil maris horrifoni,
Nil Euri, furiæque Noti, nil nubila Cœli, *Clau.*
 Subſidii certi tollere fulcra queunt. *Min.*
Vxor erit tutela domus, rerumque corona,
 Nubila diffugient hac duce flexanima.

E M B L E. I I.

CIRIS.

Obſequium amicos parit.

REgia Perſarum veſtis ſibi me dicat unam, *Geſn.*
 Et Pharaoniadum ſymbola certa gero:
Nunc dicor Cirrhis, Xiphias nunc, & ſacer ales,
 Exemplum magnum fœmineo generi:
Nemo ut me ſuperat pernicibus ocyor alis,
 Sic ſua cuique viro ſe dabit obſequiis.

EMBLE. II.

A N T H I A S.

Signum bonum.

ESt piſcis ſacer, & cilium cui circulus ambit *Plut.*
 Aureus, Anthiam fama vocat populi: *Mor.*
Hic forte æquoreis ſi quando ſe extulit undis,
 Omnia felici ſydere conciliat:

Tum

Tum mare velivolum tranquilla ſilentia mulcent,
Tum monſtra atque omnis bellua tetra fugit:
Tum liquidam gemmam hauri, tum & corallia rubra,
Cunctas æquoreas divitiasque cape.
Affulſit quoque cui felici ſydere conſors,
Omnes divitias, omnia tuta tene.

EMBLE. IV.

ALCIONE.

Amor immutabilis, verus amicus.

SUm genus aligerum, ſum proles & maris alti, *Geſn.*
Alcijone, audet quæ dare iura thoris:
Quæ lucem niveam ducit florente marito,
Non facit exoſum vel ſeniumque grave:
Quin membris tremulum, & caſſum dulcedine vitæ,
Fertque fovetque humeris, quod iubet altus amor.
Vt quæcunque ſubit conſortis iura fidelis,
Semper honore pari floreat altus amor.

EMBLE. V.

CETE.

Salus Dux viæ.

PEr me dum ſinuant immenſa volumina Ceti, *Plut.*
Dum ſcopuloſque cavent, dum vada navifraga *Mor.*
Piſciculi parvi ductoris munere cauti,
Et ſcopulos vitant & ſuperantque vada.
Eſt vitæ eſtque viæ coniunx fidiſſima cuſtos,
Hac ibis fretus tutus ab inſidiis.

EMBLE.

EMBLE. VI.

GALERITIS.

Non uno vivitur ingenio.

CRiſtam conſpicuam Galeritis vertice portat, *Plut.*
Criſtam an quod Genius cuique ſuam tribuit. *in Ti.*
Coniugis eximiæ morum cognoſcere normam,
Hoc ſolo & philtro iam ſuperare virum.

EMBLE. VII.

HELIOTROPIUM.

Præſens abſensque idem.

SOlis amica herba, ac fidus cuſtosque viarum, *Plin.*
Dicta Heliotropion nomine Graiugenum:
Hunc ſequitur veniente die, ſequiturque cadente;
Et cœli medias dum tenet orbe vias:
Huius ab auricomo ſurgit ſua gloria vultu,
Et primumque ſuum pignus honoris habet.
An quia dum eſt coniunx cuſtosque comesque mariti,
Vxori ille ſuæ ſolis ad inſtar erit?

EMBLE. VIII.

FALCO.

Diſſimulatio.

SÆpe atrox pugna exarſit Falconibus, ut iam *Geſn.*
Nec dominus notus, nec ſua blanda manus,
Convocet iratos: domini cum pectus anhelum,
Diſſimulans noxam, diſſimulansque fugam,

Perſuaſit

Persuasit placidis iam nullo instante magistro,
Optatum reditum, iussa patique sua.
Dissimulare iuvat ferventes coniugis iras,
Fænoris ut maior gratia mox redeat.

EMBLE. IX.

EPOPS.

Utraque Fortuna.

NOmen Epops audit, cristis extantibus ales,
Anni & quæ dici parva tabella meret: *Æsch.*
Anni nam vario ut se dant distincta colore
Tempora, sic varius concolor ille venit:
Fallor an hoc poscit sanctum quoque connubii ius
Sive adversa cadant, sive secunda cadant,
Æqualem portare animum, nec cedere sorti,
Esse sibi similes condecet ingenuos.

EMBLE. X.

LUNA.

Luna mutuat lumen à Sole.

ORe suo radiante nitens Tithonia coniux,
Oris ei splendor Solis ab ore venit: *Ci. de*
Coniugis eximiæ clarescere laude mariti, *Nat.*
Eius & ab radiis lumen habere suum.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDÆ

& PETRI ROYZII MAUREI

STANISLAUS CÆSUS

JUXTA EXEMPLAR CRACOVIÆ EDITUM

Anno MDCIV.

A

STANISLAO GROCHOVIO.

JLLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO

PRINCIPI D. D.

BERNARDO MACIEIOWSKI.

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,
EPISCOPO CRACOVIENSI DUCI SEVERIENSI,
&c. &c.

DOMINO & PATRONO COLENDISSIMO,

STANISLAUS GROCHOVIUS
FELICITATEM.

TAnta ſemper fuit maiorum noſtrorum erga D. *Stanis-laum*, communis patriæ parentem & Patronum religio, *Jlluſtriſſime Cardinalis*; vt non modo priuata, vel publica negotia illius tutelæ committerent: aut eius precibus, apud Deum conciliari ſibi gratiam expeterent: ſed & laudes eius verbis, ſcriptisque ornarent ipſi, vel ad has

ornandas alios excitarent. Multi propterea extiterunt,qui cum vitam integerrime & ſanctiſſime actam, magni huius Patroni; tum eiuſdem pro honore Dei, ac pro pulchra veritate, pulcherrimum & conſtantiſſimum certamen, vere & ſplendide extulerunt. Inter hos eſt & *Petrus Royzius* Hiſpanus, qui huius ſancti virtutes admiratus, in eius laudes excurrit; dicata *Samueli* patruo *tuo* opera, magno illi Cracouienſium Præſuli, qui in diebus ſuis tanquam ſtella matutina refulſerat in Domo Dei, & tanquam ſol lucebat in Patria. Protulit & noſtra ætas tam præclari ſtudii æmulos, quos inter *Simon Simonides* magni ingenii, & excellentis doctrinæ vir, cum multa egregie ſcripſiſſet, laudes quoque D. *Stanislai* ſuis Octonariis, ſumma verborum grauitate, & elegantia, magnoque rerum & ſententiarum pondere, perſecutus eſt. Hos *tibi*, ipſo præſertim ſcriptore annuente, adiuncto & *Royzii* carmine, offerre potiſſimum placuit: cum, quod ei Eccleſiæ cum dignitate præes, quam ſanctus ille Martyr ſuo ſanguine irrigauit: tum quod magni Patrui exemplo, non ſolum ſplendidiſſimis ingeniis, quale *Simonidæ* eſt, ſed & mediocribus delectaris: vt qui & meam quoque de huius ſancti, vita, patria lingua lucubratiunculam, (quæ iis diebus lucem aſpexit) libenter videris & legeris. Patiare itaque, *Illuſtriſs. Cardinalis*, ad gratulantium voces, ad fauſtas acclamationes & carmina, que quisque *tuo* ampliſſimo nomini addictus promit, gaudens ex hoc auguſtiſſimo Cardinalatus *tui* honore, quo *te* nunc idem *Clemens VIII.* Pontifex Maximus ornauit, qui ante annos aliquot B. *Stanislai* ſanctimoniam in vniuerſum mundum ad omnem poſteritatem propagauit, has quoque duas lauros adiici; me vero clientem *tuum*, vt cœpiſti, fouere & tueri perge. Vale *Illuſtriſſime Cardinalis*, diu felix. Crac: ex contubernio Iuriſperitorum 28. Iul. 1604.

SIMON

SIMON SIMONIDES

STANISLAO GROCHOVIO

S. D.

Mitto ad te, vt petiisti, Octonarios hosce olim a me plane adolescentulo scriptos: musteum prorsus carmen, & dignum illa ætatula: quos ego, si ad gustum huius ætatis, in qua nunc sum, explorem, abiiciendos potius, quam tollendos puto; nihil enim in illis agnosco, præter pietatem meram. Sed quoniam a summis viris, qui apud Cracouiensem Ecclesiam sunt, probari atque expeti: & de eis ipsum Illustrissimum Principem Bernardum Macieiovium, *urbis eiusdem Episcopum, iam nonnihil inaudiuisse mihi significasti, vel contra iudicium meum, non possum illis esse non æquior. Tibi itaque dantur, tanquam bonæ Lucinæ; vt ex manu tua, vel lucem aspiciant, vel ad tineas redeant, cum quibus hactenus colluctabantur. Verum hoc a te pro nostra amicitia peto: dum eos, ipsi Episcopo, diuinissimo atque humanissimo viro offeres; vt me quoque simul clientem, & eius virtutum admiratorem, offeras. Vale Ex prædio Cerneccensi, Kal. Julii. Anno M. DC. IV.*

SIMONIS SIMONIDÆ

DIVVS

STANISLAUS.

OCTONARIVS I.

SÆpe diuifit meam
Mentem, huc & huc alterna cogitatio,
Queis prima honorum iudicio intrepido
Ornamenta referrem.
His ne, qui iſto gloriæ,
Vulgi non taciti ora ventilante
Igne ſuccenſi, atque auidi populos
Imperia oſtentare per omnes.

OCTONARIVS II.

Militum ferocibus
Nimbis redundantes, procellam ferream
Belli, in remotas euomerent regio-
nes, vrbesque viroſque,
Cultaque arua, incultaque,
Sceptorumque potentias cruento
Turbine ad ſe corriperent, domini
Terribiles late atque opulenti.

OCTONARIVS III.

Anne iis, qui pectora
Tranquilliora nacti, alumni pacis, &
Concordiæ, vnam iuſtitiam ſtudio
Exercere fideli
Pergerent, ad commoda
Non priuata adeo ſua, vt ſuorum
Ciuium attenti, placidi, æquanimes,
Non cupidi iacturæ alienæ,

OCTO-

OCTONARIVS IV.

Pauperum æque ac diuitum
Recti æstimatores, superbis asperi,
Iniuriosorum & mala agentum hominum,
Nequaquam tolerantes,
Non maligni mitibus,
Legum solliciti, Dei timentes,
Quos velut sacrum iubar aspicere
Cuncti aueant, & libero amore

OCTONARIVS V.

Diligant, soli mali
Exhorreant. donec stetit tandem mihi
Sententia hæc fixa, vt modicum melius
Iusto ausim memorare,
Ferreumque postputem
Æuum vulnificum, aureæ quieto
Seculo astreæ. tua enim tua me
Edocuit mens denique sancta,

OCTONARIVS VI.

Præsulum o Stanislae
Selecte flos, Poloniæ vnicum decus,
Qui postquam eam in sortem, haut sine consilio
Nutu cuncta mouentis
Numinis, vocatus es,
In qua olim Samuel stetit sacerdos,
Aut Natam, Regem hic cythara hymnisona
Nobilem apud, regem ille priorem,

OCTONARIVS VII.

Tu Boleslaum autem apud,
Cracouia in pulcherrima, Pastor bonus,
Non hoc fategisti, vt tumidus titulis,
Torrensque ambitione,

Cum

Cum satellitum grege
Regum purpureus perambulares
Atria, aut auri furiatus amo-
re improbo, egenos pauperum in vsus

OCTONARIVS VIII.

A piis relicta auis
Dona, in crumenas conglobares perfidas,
Centum pauori vectibus oppositis,
Praua olim vnde nepotum
Gens, solutæ promeret
Vitæ materiam, & male aggregata
Perderet peius, misero in strepitu
Luxuriæ, mensisque caducis.

OCTONARIVS IX.

Nil ei modi tibi
Gestum; neque superbiuit hæres de tua
Splendente gaza. at continuo officii
Concessæque superne
Prærogatiuæ memor,
Vrbem te illicet esse cogitasti
Montibus summis positam, valido
Præsidio cuius, populi grex

OCTONARIVS X.

Omnis vltro fideret,
Securus a rabie luporum, & pabulis
Pollens abunde; nec minus interea
Lumen te atque oculum esse
Principis tui, capi-
tis vicem regionibus qui in istis
Præferebat, rite sciens, tenebris
Ne temere obscuris titubaret,

OCTO-

OCTONARIVS XI.

Neue ſecum cætera
Raptaret, incertus viæ, membra, aureo
Illi inſtitiſti pandere iter radio,
Iam vitæ apte ad amuſſim
Lucida inocentia
(Quæ eſt certiſſima norma ſuaſionis),
Fulgurans, iam flexanimis monitis,
Igneque verborum rutilante,

OCTONARIVS XII.

Viuidam quaſſans facem;
Plerumque creperis fulminans incendiis,
Veri palam audax proditor, & ſcelerum
Semper cognitor acer.
Ni ſacerdos vera enim
Auſit dicere, ſabitur quis? aut quis
Obſtruet vim nequitiæ? aut ſolidum a
Non ſolido æqua lance reuellet?

OCTONARIVS XIII.

Fixa tum Boleslao
Cupido nominis propagandi fuit,
Sceptrique auiti non patiens animus,
Verum latius ardens
Regna frænare extera.
Non tam ſollicitus, bonorum vt eſſet
Ciuium rector, numero quam inhians
Et patulæ late ditioni.

OCTONARIVS XIIII.

Ergo bellorum ſiti
Bohemiam primum, corona montium
Cluſam penetrare aggreditur; media in
Tum parente Polonis

Regulum

Regulum Bohemicum
Nactus Sillesia, arva nostra fuso
Præmiantem milite, quem leo ceu
Feruidus, imbellem hinnulum opima

OCTONARIVS XV.

Prata lasciuo pede
Temere impetentem, ipso illico aspectu in fugam
Ignobilem vertit, tacitum, & tenebris
Noctis castra mouentem.
Insecutus mox eum,
Dum ex libidine non potest potiri
Rictum hiantem vltor saturauit agris
In profugi prædaque Moraua.

OCTONARIVS XVI.

Laudem illi eo nomine
Tamen damus. nam bella, iusta causa quorum est, quæque iniquam vim fieri prohibent
Vitæ aruisque suorum,
Seruitute aut barbara
Pressos eripiunt, crucisque Christi
Gloriam stratam reparant, moueat
Qualia si quis nunc domitorem

OCTONARIVS XVII.

In Tyranum Græciæ,
His iure laus danda est sua, & diuinitus
Optanda merces, cætera si quo alio
Conatu instituuntur,
Pessimis nil differunt
Latronum artibus, vt marinus olim
Prædo, prædoni orbis, Ego, inquit, inops
Lembo homines, tu classe trucidas.

OCTO-

OCTONARIVS XVIII.

Gens fidem dein Prussica
Frangebat, excutere iugum Polonum auens,
Ac Pomeranum depopulabat agrum,
Prædis improbe onusta.
Iusta item Boleslao
Hæc sumpta arma in eam, nec absuit fortuna. vbi victoria dedocuit
Pondere in armorum, tunicisque

OCTONARIVS XIX.

Æreis, spem ponere
Gnauum Polonum militem, sed fidere
Dextræ expeditæ, & corporis egregiæ
Virtuti, ac leuitati ;
Indeque exemplum datum
Armaturæ habilis diem hunc ad vsque.
Martium nostrorum animum Vngaria
Non minima mox clade, Tibisci

OCTONARIVS XX.

Littora experta est apud,
Boleslai pulcherrima cum gloria.
In Russiam vnde itum, quam animo penitus
Rex multo ante vorabat,
Castraque ad Kiouiam,
Vrbem tunc opibus fluentem & auro,
Luxuique obnoxiam (opum soboles
Quæ est genuina) admouerat, ista vrbs

OCTONARIVS XXI.

Victa, vicit nos quoque.
Non id statim quidem, sed hamum esca velut
Tectum dolosa primitus obiiciens
Gustandum, nociturum

Post nimis, dentemque in os
Fixurum, siquidem lepore perce-
pto voluptatum, inter amæna loca,
Deses ibi æstatem atque hyemem rex

OCTONARIVS XXII.

Traxerat cum milite,
Ad turpe totus prostitutus otium:
Cor fœminarum forma auidum satians,
Structurisque epularum
Haud viriliter fauens.
Mens mi pendet, eamne inesse dicam
Vim voluptati? rigidissima quæ-
que vt sibi possit corda virorum

OCTONARIVS XXIII.

Blanditer substernere?
Prauæ anne mentes solum ad illam, grex velut
Muscarum odorem ad mulsi alacri strepitant
Ala, hærentque retentæ?
Quem momordit vipera hæc
Nunquam, proximus hic Diis: nec ille
Prorsus infelix, saniem penito
Qui potuit corde expuere haustam.

OCTONARIVS XXIV.

At perennat pestis in
Quo, is vero viuit omnium miserrimus.
Ex tertio isto (proh patriæ opprobrium
Fœdum) cœtu vtinam tu
Non fores Boleslae.
Posses sic vtinam imperare telo
Prauo amoris, prælia vt indomitus
Dux simul & miles probe obibas.

OCTONARIVS XXV.

Sed pusilla hæc remora
Fortissimam mentis tuæ cepit ratem;
Mersitque, non id protinus, ac spatio
Post non longo. etenim haustus
Fluctibus ceu qui est, ope.
Natandi manuumque destitutus,
Iam licet languens pereat, rapia-
turque maligno pondere ad ima,

OCTONARIVS XXVI.

Vltimum robur tamen
Vsque excitat, aquis emicans identidem.
Lasciuiæ, sic mens tua rapta semel
Vndis, quanquam ope prorsum
Destituta omni, tamen
Maiori reditura nempe mole
Fluctuum in fundum, emicuit, locaque
Deseruit paulisper iniqua.

OCTONARIVS XXVII.

Nam retro Præmislam
Cincturus obsidione abiuisti, inde item
In proximam iuxta Vngariam exiliens,
Hicque illicque secundo
Rem alite egisti, simul
Virtutis statuens trophæa, miran-
dam simul laudem referens celeri-
tatis, vt Audacis quoque nomen

OCTONARIVS XXVIII.

Publicum ferres, satis
Beatus, ad Kyouiam reciproco
Inflexu habenæ, præcipitem nisi te
Rnrsum fors reuocasset.

Profuit ſemper mali
Declinaſſe alimenta blanda morbi,
Et loci plerumque noui facies
Reſtituit iam iam moriturum.

OCTONARIVS XXIX.

At tu in ardentem prope
Flammam dediſti denuo ſaltum, doli &
Tabis locorum non memor, aut etiam
Pronus ſponte ſequaxque.
Res fidem eſt omnem ſupra
Nec accepta memoria vlla avorum;
Omnis electiſſima nobilium,
Quotquot opimo tum vbere glebæ

OCTONARIVS XXX.

Vitam alebant Lechicæ,
Cum rege bellatore late iuit cohors,
Munitiones Volhiniæ populans,
Ruſſisque vltima nectens
Vincla, ſeptenoſque ibi
Coniugumque domuſque liberumque
(Tantus armorum oſſibus arſit amor)
Immemores hæſere per annos.

OCTONARIVS XXXI.

Ipſe Rex vel maxime
Kyouicis iterum illecebris redditus,
Roburque ſenſim militis, indecori
Exemplo, rapiens ad
Criminis commercium
Idem. Nam pede præuio qua iter Rex
Primus inceſſit, populus ſubito
Impete denſo illuc amat ire.

OCTO-

OCTONARIVS XXXII.

Non laborioſa apum
Queis certa ſedes aluearis condita eſt
Examina auſint deterius, proprio
Si ſpreto lare, victu
Se efferant erroneo,
Expugnentque aliena, in exteroque
Hæreant, oblitæ operum & veteris
Hoſpicii fœtuſque relicti.

OCTONARIVS XXXIII.

Sed rates vt nauita
Vnus duas remis ſimul propellere
Non eſt potens, quin hanc moderans, aliam
Ventis ludibrium det:
Occupati ſic foris
Dedere ancipiti domos ruinæ.
Ac leuem primum arripuit ſtipulam
Ignis edax, graſſatus iuermum

OCTONARIVS XXXIV.

In pudorem coniugum,
Torique ſæpimenta. neque id iniuria,
Namque eſt morarum non patiens mulier,
Tum vltrix ſæua, fidem ni
Seruet olli Vir ſuam.
Fama qualia multa inaudiebant
De ſuis: atque hinc ſceleris ſimilem ad
(Pro dolor) ærumnam exiluere,

OCTONARIVS XXXV.

Atque adulter accitus
Vicem in mariti. itidem audientibus viris
Non admodum hæc accepta fuere, etenim
Nequam ſit licet ipſe

Vir

Vir, tamen vicarii
Nequaquam est tolerans. doloris ergo,
Inuicem læsi grauibus stimulis,
Per media vrgentis quoque brumæ

OCTONARIVS XXXVI.

Frigora, altas & niues
Incendium ad domesticum, pernicibus
Fusim frementes emicuere in equis.
Iuuito atque vetante
Rege, & atroces minas
Attollente, adeo vt subinde cunctis
Ad sua elabentibus, ipse quoque
Ad sua sit migrare coactus.

OCTONARIVS XXXVII.

Plenus irarum, & siti
Magnæ vltionis feruidus, torrens velut
Amnis, quem ab altis montibus immodicam
Vim vndæ præcipitantem,
Machinis ac molibus
Iactis, agricolæ amouere certant.
Ille victis omnibus aggeribus
It populans læta aura satasque

OCTONARIVS XXXVIII.

Spes boum & mortalium:
Quid? principum fortissime, quid? auditane
Vnquam tibi vox Romulidæ egregii?
Qui se malle ferebat
Ciuium vnum sospitem
Seruatum dare, mille quam peremptos
Hostium? flammæ anne modo, imperia
Quæque vorando amplissima, reris,

OCTO-

OCTONARIVS XXXIX.

Te beatum & munere
Functum tuo ? quæ vnam ſimul domum attigit,
Vicina ſorbens culmina continuo,
Tota incendia mittit
Vrbe, nil poſt ſe, horridam
Præter vaſtitiem, nigrumque fumo
Rudus, & fœdas cineris miſeri
Relliquias, luctumque relinquens.

OCTONARIVS XL.

Nulla enim maiora ſunt
Incendia humani generis, abſumpta quam
Morum atque legum ſobrietas, odium &
Virtutis, neque Princeps
Sceptra habet diuinitus
Vlla ex cauſa alia, quam vt optimos &
Incolas, quondam ſuperum patriæ
Euehat, iniunctos ſibi ciues.

OCTONARIVS LXI.

Nec tam honos quam onus mage eſt,
Rempublicam qui ſuſtinet: penſandaque
Mens rite, quo quid propoſito aggredimur,
Dextrone an ne ſiniſtro,
Iacta nec fundamina
In mera ambitione, ſuſtinere
Pondus, aut ſtructuram aliquam eximiam
Conſpicuæ poſſunt rationis.

OCTONARIVS XLII.

Tetra quæ porro ſunt
Dictu, abſtinebo, habenam enim linguæ haut decet
Laxare ad obſcœna. illud agam expediens
Duntaxat, quibus actus

Non

Non bonis factis, bonus
Præsul, cui memorem ferens honorem
Pango dicta hæc qualiacunque hodie,
Post habuit Mauortia quæuis

OCTONARIVS XLIII.

Gesta felicissima
Tua, & triumphos quosque splendentissimos,
Gentesque regno, & multiplices populos
Partos fortibus ausis.
Rideant hoc plurimi,
Sed vulgus preciosa quæ æstimauit,
Mox refutat vir sapiens. quis enim
Maxima post tot functa duella,

OCTONARIVS XLIV.

Post tot insignes rela-
tas hoste non de vno palam victorias,
prouinciarum postque tot accumula-
tas circum ditiones,
Crimen vnius frequen-
tatum adulterii, aut fori remissum
Iure dicundo officium, aut solitum
Præter auara exacta tributa.

OCTONARIVS XLV.

Hæc quis, inquam, strenuo
Vsque adeo regi sponte non concederet?
Aut non putaret magnanima omnibus his
Gesta eius potiora?
Solus hoc Stanislaus
Non sensit, prope tantum opinione
Discrepans vulgi, iaculator habi-
lis, posito qui spicula signo

OCTO-

OCTONARIVS XLVI.

Certa figit, quantum abest
Ab eo, qui in auras mittit incassum, inscius,
Metæ expetitæ, sed temere iaciens
Ludo falsus inani.
Bella enim considerans
Pacis fine geri, & bonum a Tyranno
Principem hoc distare, suos spoliet
Hic vt, & istum in maxima quæque

OCTONARIVS XLVII.

Facta dirigat scopum,
Illustris vt foris, timendus sit domi,
Passimque quouis se saturet scelere,
E contra ille salute
Nil suorum antiquius
Ducat, nil mage curet, hostibus quam
Vt sit horrori, domi amorem habeat,
Nec stadio vnquam excedat honesti.

OCTONARIVS XLVIII.

Tum seuere gentium
Ipsum Magistrum edicta pangentem audiens
Infidi & execrabilis in loco haben-
dum, quem cura suorum
Non penetret, tantum abest
Vt prædam statuat suos sibi quis.
Veritatis præterea indubia
Voce palam promendæ, & habenis

OCTONARIVS XLIX.

Insolentiæ opprimen-
dæ, publicum munus sibi meminens datum,
Dextraque pastorale pedum gerere,
Non solius honoris

Aurei ergo, se extimans,
Verum ob vitam ovium, & necem luporum,
Liber inconcusso animo facinus
Orsus in omne æuum memorandum.

OCTONARIVS L.

Regis illico forem
Adit, grauiaque multa dictu, illius in
Aurem intimam profatur: honorifice
Primum abducere cœptis
Tristibus secretum auens;
Vt qui non faceret calore quoquam
Oggerendæ ignominiæ, potius
Publicæ opis fluxæ recreandæ,

OCTONARIVS LI.

Regiæque dignita-
tis in suum decus reponendæ. placi-
dos quippe, lenesque esse pedes, voluit
Vitæ ipse optimus auctor,
Nuncia edentum sua.
Non semper quidem id, ad flagella quando
Ipsemet dextram tulit acrem, alias
Res vbi verbis nequiit vltro

OCTONARIVS LII.

Decidi salubribus.
Quod pertinaciter Boleslaus quoque
Pertendit, indignantem vbique obiiciens
Dictis præsulis aurem,
Ferreumque exasperans
Cor. chalybs velut, ardor æstuantis
Quem camini vi calida immodice
Imbuit, humentem propere si

OCTO-

OCTONARIVS LIII.

Forcipe intinguatur in
Scrobem, ſonoro ſe trucidat protinus
Clamore, & haurit duritiem indomitam;
Clara feruidus vndas
Turbulentia increpans.
Idcirco tamen haud remiſit ille; at
Perſeverauit: repetens iterum
Atque iterum, crebro & congrua fandi

OCTONARIVS LIIII.

Tempora vſurpans catus.
Donec bonis nil profici dictis videns,
Ad duriores ſerior vſque etiam
Se ſe contulit artes:
Intonans ardentibus
Præceptisque minisque, publicoque
Plurimum coram facie opprobrio.
Denique, deplorata quod olim

OCTONARIVS LV.

Vltimi demum vice
Remedi aduocari in corda ſolet: Eccleſiæ
Conſortio almo in decorem prohibet,
Arcetque omnibus aris:
Templaque in ſilentium
Dat, dirisque caput ſacrum eſſe mandat.
Hic mihi, hic te expergeface, o anime!
Hic noua fulcra, alaſque recentes

OCTONARIVS LVI.

Indue, ipſas ſub poli
Nubes ſecuture, arduam, fortiſſimam
Mentem: caduca hæc, nata neci omnia, niſu excelſo exuperantem:

Veritate proque pul-
chra, oblitam decorisque sanguinisque:
Prodigamque vltro venerandæ animæ, &
Sponte timores obuiam in omnes,

OCTONARIVS LVII.

Vnico sub numinis
Timore. sed non ante, portu te tuo
Consistere est fas, quam geminum socies
Cœpto pollice honorem,
Russicæ ad lyræ fidem:
Insignem Ambrosium simul frequentans,
Atque eadem ex sorte Theodosii
Concelebrans fastigia pressa,

OCTONARIVS LVIII.

Dispari euentu. neque
Enim negotium est simile, tractabilem
Versare ceram, & tundere vim manuum
Cautem alte renuentem.
Arduis superbia
Non semper volitat locis, frequenter
Nidulatur sede minore etiam,
Palliaque inter sordida turget.

OCTONARIVS LIX.

Conferat Boleslaum
Quis cum Theodosio; ille formicas erit
Inter; leonum hic in numero, dominus
Qua sol aspicit orbis.
Mentis at submissio
Tanta, vt de grege plebis esse dicas,
Pœnitentum in turba humilem, sceleris
Lugubriter commissa piantem.

OCTO-

OCTONARIVS LX.

Auſus indignum nefas.
Nam cum eſſet, innocente ſanguine imbuens
Enſem cruentum: non tulit Ambroſius
Auſo impune potiri;
Verum adulta fortiter
Confeſtim obſtitit increpatione,
Factum in os vsque improperans, aditu-
que eiiciens & limine templi.

OCTONARIVS LXI.

Omnibus non digna ea
Tum viſa ſolum principem præter; hominem
Qui ſe puſillo vel nihilo potius
Maiorem meminerat
Cæteris; porro Dei
Miniſtrum, Ambroſium videbat, eſſet
Cui poteſtas interimendæ animæ
Credita, quam ipſe in corpora haberet.

OCTONARIVS LXII.

Tum quod vrgebat 'magis
Conſtabat Ambroſiii integerrima mens apud
Illum. remota omni ambitione, ſiti
Nulla auri temerata,
Non adulando procax,
Non infracta timore, veritatis
Sed tenax iuxta atque ſciens, ſuperum
Ad placitum intentiſſima vbique.

OCTONARIVS LXIII.

Ergo fœcundæ velut
Terræ ſolum, quam triſte preſſerat gelu,
Præteruolantem almi ad Zephyri ſonitum,
Molli continuo aura

Se

Se resoluit, & sinu
Vigorem genitabilem refundit,
Læta vernanti vbere & omnigenum
Luxurians in floris honorem

OCTONARIVS LXIV.

Inclytum Theodosi
Sic pectus, aspra non nihil vitii hyeme
Pressum, salubrem ad fortia per monita
Flantis præsulis auram,
Protulit vernans decus,
Fructusque ingenuos dedit doloris,
Floridum late vberibus lachrimis
Inque nouum virtutis amorem

OCTONARIVS LXV.

Transditum; vt sententiam
Relinquat in suspenso, vter locum occupet
Laudis priorem, magnanima anne adeo
Libertate sacerdos
Tantum agens in principem?
Princeps anne adeo se obedientem
Adstruens illi? paribus veniant
Anne trophæis ambo colendi?

OCTONARIVS LXVI.

Rariorem Phœnice
Nullam alitem æther nutrit: ast ei modi
Regis sacerdotisque minus locuples
Multo copia prompta est,
Indies mortalium
Vita in deterius ruente. Quid dum?
Quid mihi motu micuisti anime
Insolito? quis te pauor anceps

OCTO-

OCTONARIVS LXVII.

Transmeat? quæ degener
Externat hæsitatio? iamiam hicce te
Rerum institutis suescere non leuibus
Vultu peruico oportet,
Iam pati non mitia.
Non omnes eadem fauentia effert
Numinis; non, si Ambrosius potuit,
Isdem animis, & pectore eodem

OCTONARIVS LXVIII.

Noster effectum dabit
Stanisslaus, vita illi emenda veritas;
Vita litandum nomine pro innocuæ
Libertatis & æqui.
Sed neque hanc tamen vicem
Dici fas miserum, omnibus beatum
Quin modis, cui ferre aliquid licuit
Vulnificæ illius crucis, ad quam

OCTONARIVS LXIX.

Nos ferendam sedulo
Inuitat, ipse baiulans prior crucem
Christus redemptor, spinea, mortifera,
Clauis fixa cruentis
Serta post, ad gloriæ
Æternique vocans coronam honoris,
Aureoque altos folio, ipsa supra
Sydera, cælestumque preponens

OCTONARIVS LXX.

Consitas stellis domos.
Te verius te nuncupo Boleslae
Omnes supergressum numeros miseræ
Fortunæ & rationis,

Qui

Qui velut ſternax equus,
Frænorum impatiens, ferox maligne
Seſſili tergo, domitorem equitem
Officio tractare fideli

OCTONARIVS LXXI.

Te volentem, & curſui
Recto benigne comparantem, in aſpera
Saltu nefando ſaxa procul, procul in
Conuallesque fragoſas
Detuliſti, non ſine
Sæua ſtrage tua, ah miſer, quo abis? quo?
Quos maniplos ire iubes? quid eum
Tam celer ipſe inſurgis in enſem?

OCTONARIVS LXXII.

Ante ſed, præludia
Furoris huius quæ dediſti exordio,
Percenſere hic non eſt operæ precium.
Momenti licet illa
Non minuti ſint quoque:
Auri nempe potentia in tam acerba,
Plurimis quæque vt leuius veniant
Damna pati, diſpendia lucri

OCTONARIVS LXXIII.

Quam puſilla. buſta vbi
Calumniam contra tuam Stanislao
Et Petricus (proh mira fides) cinere
Buſti excitus ab ipſo,
Adfuit ferens opem.
Hæc quis falſa putat, ſua ex doloſa
Metiens virtute Deo placitos.
Sed facibus qua inceſſit iniquis

OCTO-

OCTONARIVS LXXIIII.

Inuidus, contrariam
Fumo boni fundunt aquam. Vir innocens,
Qui ſe ſuo fundat pede, non temere
Tollit laudem alienam:
Credulus quin ampliat
In multis aliis amans, quod in ſe
Ipſe ſentit, verum ita ſi libitum
Inuidiæ, ſunto iſta minoris

OCTONARIVS LXXV.

Nec ſatis firmæ notæ.
At mortis hauſtus impigerrime calix,
Vitaque conſignatus amor ſolidæ
Cis fraudem pietatis,
Quapiam ne vltra premi
Poteſt ſuſpicione criminandi?
Omnium iactura habilis facile
Rerum, animam impendiſſe ſupremum eſt.

OCTONARIVS LXXVI.

Auſus id, Boleslae,
Vellem haut fores, tuumque non iſtis malis
Nomen veniret commemorandum hodie.
Nam quis malit amara hæc
Dicta? quam cum laude mel?
Verum iuſtitiæ trutina præſto
Eſſe vati debet amica bonis
Parturiens, contraria prauis.

OCTONARIVS LXXVII.

Mortuus Stanislaus
Pulcherrima pro veritate manu tua eſt,
Exceptus ipſa altaria apud, calicem
Cæleſtem ſuperis tum
Ore prælibans ſacro.
Cruorem vt prope cum cruore Chriſti
Funderet miſcens proprium, nouaque
Ad celebrem procumberet aram

OCTONARIVS LXXVIII.

Victima, acceptiſſima
Iuxta atque precioſiſſima ſuperum patri.
Damnoſa ſed prorſum tibi. nec ſatis hoc
Quippe amens habuiſti,
Vt furentem impingeres
Diuo enſem in caput, & propinqua ſaxa
Spargeres circum calido cerebro,
Qui in patriæ ſummo velut hoſte

OCTONARIVS LXXIX.

Proruto, cadauer in
Exanime ſæuiſti miſeriter, alitum
Turpi gulæ, rictisque canum ejiciens
Fruſtatim laniamen
Comminutum, improuidus,
Enectos etiam fame leonum
Noſſe ventres parcere mente viris
Innocua viuentibus, & ſe

OCTO-

OCTONARIVS LXXX.

Labe continentibus
Omni. quid eſt? cernisne pendentum polo
Agmen volucrum hoc? officio inſolito
Cæſi membra tuentum?
Colligant quæ mox pii
Myſtæ, vltro reditura priſtinos in
Corporis nexus; quod item haut facile,
Degener vt quiſque eſt mage credat.

OCTONARIVS LXXXI.

Sed nepotum turba poſt
Melior, ſepulchri honore ſeruet aureo,
Structisque ſanctis ædibus accumulet,
Certatimque tabellis
Fixa conteſtantibus
Vota inſigniat, atque opis benignæ
Nuncupet certum auxilium dubiis
Rebus, & obnixiſſima figat

OCTONARIVS LXXXII.

Oſcula oſſibus ſacris.
Adhuc feror. licet peritus non ſatis
Ceu textor abſolutam operam ante pe-
pli, ſubrumpere filum,
Protrahendum longius,
Iam iam commeditans: erit canendi
Aptior forte hæc alias etiam
Copia & accreſcens cum tempore virtus.

OCTONARIVS LXXXIII.

Tu mihi ſalue interim
Beate ſanguis, te te ego niſi omnibus
Præpono gazis, omnia poſthabeo
Soli ni tibi regna,
Deſerat me cor meum.
Tu nex perniciesſque gannientum ad
Gratiam, tu firmi animi ſpecimen,
Tu columen, verique ſequeſter,

OCTONARIVS LXXXIV.

Præſulum pulcherrima
Imago tu. ad quam ſplendidi delineent
Vitæ colores quiſque ſuos. tibi me
Si fas deuoueo ipſe.
Æmulari in maximis
Parui ſi quid habent, minuta prorſum
Nec mari magno leuibus tabulis
Nauigia arcentur dare curſum.

AD

AD VIRUM ILLUSTREM

SAMUELEM

EPISCOPVM CRACOVIENSIVM, ET SUPREMVM IN POLONIA *CANCELLARIVM*:

PETRI ROYZII (•) MAVREI HISPANI CELTIBERI IURISconsulti, Carmen de ſancto Pontifice cæſo, ſiue

STANISLAVS.

SÆpe ego, qui cecini magnorum gaudia quondam
Heroum: ſoluique animos, & carmine læto
Mente procul pepuli curas: nunc triſtia mœſtus
Funebribus plangens numeris exordia ſumam.
Aſpira, magne o Samuel, mihi ſuffice carmen
Præſidiis, velut ante, tuis: & funera flenti
Ante tui ceſſoris ades. ſeu templa Deorum,
Auguſti ſeu celſa tenet te curia regis,
Inclyta Sarmatici moderantem iura Senatus.
Siue tui rerum vacuus Pradnicis ad vndam
Fronde ſuper viridi recubas: & tecta ſuperba

Miraris

(•) PETRUS ROYZIUS Hiſpanus, e Bononienſi Academia, ubi ſtudia coluerat, a Petro Gamrato, Cracovienſi tunc Epiſcopo, in Poloniam vocatus: Iurisque Civilis Profeſſor Ordinarius in Cracovienſi Academia conſtitutus eſt. Regi Sigismundo I. ejusque filio ac Succeſſori, Sigismundo Auguſto, cariſſimus fuit: prout etiam Regni Proceribus omnibus: in primis autem Petro illi Gamrato, Gneſnenſi Archiepiſcopo, ſimulque Epiſcopo Cracovienſi: & Samueli Macieiovio, Cracovienſi Antiſtiti. Carmina complura edidit. Cum Cochanovio, Poeta principe, intima familiaritate vixit, laudatusque a Cochanovio eſt frequentius. Hæc de Royzio habuimus ab Eruditiſſimo viro Io. And. Ianocio Can. Kiov. Bibl. Zal. Cuſtode.

Miraris tua, ſydereo, quæ tollis Olympo.
Qui te cumque tenet locus, adſis: flebile ſancti
Pontificis funus dicam, qui cæſus ad arám
Ob Chriſtum templique decus, laniatus & artus,
Infandum, Regis dextra: ſparſuſque per auras
Alitibuſque feris datus eſca: ſit integer olim,
Extemploque ſuo coierunt membra tenore.
Chriſte mihi cauſas memora, quibus excita quondam
Ira Boleslai exarſit: cur Regia dextra
Cæde Stanislaum crudeli obtruncat ad aras
Pontificem? tantæne animis Regalibus iræ?
Iuſtus erat præſul, quo non præſtantior alter,
Ore ciere viros, animoſque attollere cælo:
Sarmata Sauromatas inter ſanctiſſimus vnus;
Fama ingens, faſtiſque: tuus Cracouia præſul.
Aſt quem læta ſuum Scepanouia iactat alumnum:
Tantum nacta decus felix Scepanouia tellus.
Non illo quondam populos errare magiſtro
Fas erat: aut diuis colere impia fana relictis:
Non vitiis onerare animas, non crimine vitam
Polluere, & tacito verſare in pectore fraudes.
Inſidias ſtruere, & menſas temerare veneno.
Non odiſſe ſuos, iramque laceſſere diuum:
Turbatis ſacris & relligione vetuſta.
Non fas ignotos ſine præſule figere ritus,
Et morem templis audere imponere diuum:
Sanctior ac æui quæ gens tulit illa prioris,
Quæque hodie vaſti ſequitur pars maxima mundi,
Arbitriis mutare ſuis: & ſola putare
Recta, placent vni populo quæcunque profano.
Contemptiſque nouos patribus præſcribere cultus;
Sit tanquam afflatum meliori numine vulgus,
Ceu rigeant proceres: ſit flamine plena Deo plebs.

Qualia

Qualia monſtra gemens noſtra ægre ſuſtinet ætas:
Iactatuſque ſacer tot tempeſtatibus ordo.
Tuque adeo Romane pater, cui terra fretumque,
Cui ſtyx mortali, melior cui paret Olympus:
Indignans late ſpoliatis aſpicis aris.
Sarmatiamque doles tantum in diſcrimen iiſſe
Sacrorum, male vicinus quam perculit error.
Et niſi nos tandem cælo Deus æquus ab alto
Reſpectet miſeros, fruſtra tua fulmina torques:
Æternaſque neces & nigra minaris auerna.
Viueret o vtinam, & vitales carperet auras:
Perpetuumque colo Lacheſis deduceret æuum.
Talia non illo molitus Sarmata quondam
Pontifice eſt, Saxo aura licet vicina teneres:
Saxo nouæ aſſertor pietatis, & improbus auctor:
Diuini Saxo verbi importunus adulter.
Vrgebat dictis populos, iuſſiſque premebat:
Ore potens præſul, vitaque verendus honeſta.
Regem ille ac populum nullo diſcrimine habebat;
Numina lædentem, ſic carpere ſuetus vtrumque,
Eſſet vt vpilio Regi par: purpura nullos
Principis, aut maius facinus ſentiret honores.
Quin ſæpe in Reges maioribus excitus iris
Antiſtes ruit, ac verbis exarſit acerbis:
Crudelis læti fuit Olli vnde omnis origo.
Quippe Boleslaum, gentis qui ſceptra Polonæ
Sauromatum late populorum & regna tenebat,
Dum carpit præſul, magniſque licentius auſis
Increpat: exuere & vitiis, & crimine tentat:
Quo ſe Rex, quoque auguſtos fœdarat honores
Plurimus, impleratque odiis vrbeſque, domoſque,
In ſe ſe: atque ſui oblitus Diuumque hominumque,
Quicquid erat nil Rex vitiorum liquit inauſum.

Quid

Quid memorem ciues cædentem, vrbemque ſuorum
Sanguine fœdantem, populantemque omnia ferro?
Matres, infandum (quod poſtera neſciat ætas)
Ablatis gremio natis, ſugenda ferarum
Vbera dant catulis: ſæuo cogente tyranno.
Hæc bonus Antiſtes dum iuſta percitus ira
Caſtigat, Regemque iubet meliora monenti
Parere: & facilem voces audire Deorum,
Illius in ſe ſe exacuit crudelia corda:
Armauitque manus. at non tamen abſtinet audax
Incæpto, videat quamuis ſibi dira tyrannum
Fata parare: necemque atrocem & funera ſæua.
Ergo ſecreto non iam Regem admonet ore,
Sæpius indigne Regali pulſus ab aula:
Publica non iam vox ſat erat, non carmina dira,
Quæ in ditis mittunt hominem pallentia Regna,
Exortemque boni faciunt, vitæque beatæ.
Facto opus eſt. templis Diuum, atque altaribus arcet
Regem infelicem, concluſis vndique valuis:
Qua Rex it, greſſumque infert in templa Deorum.
Talibus in Regem præſul fortiſſimus vſus,
Tantorum vindex ſcelerum, vitæque nefandæ:
Qua ſe Rex, quaque Auguſtos fœdarat honores.
Ille autem accenſus furiis, victuſque dolore,
Tantum Pontificis tolerare haud iam potis auſum:
Multorum victor populorum, o! inquit, ab vno
Sacrifico vincar? me, quem Scyta, quemque Valachus,
Quem Moſchus tremit, & quicquid ſtans aſpicit arctos,
Imbellis pulſat manus, atque altaribus arcet
Diuum, conuentuque hominum, mihi dira minatur
Excidia: infernoſque ignes, mortemque perennem?
Ah ego, qui nuper Ruthenum marte ſubegi:
Auſtriacaſque arces, & fortis caſtra Moraui

Enſe

Enſe tuli : quo Pannonius victore tyrannus
Purpuream fundens animam terram ore momordit.
Scilicet hæc patiar ? dum ferrum dextera & arma
Suſtinet? & non ſacrificum hunc,non hoc caput audax
Dedo neci? pedibusque meis in vulnera curro?
Dedo neci, manibuſque meis in tartara mitto?
Non mihi lux hæc, non cælo ſol ante voluto
Occidat, & ſtellas accendat in æthere veſper:
Quam caput illud ego ſcapulis tergoque reuello ;
Inuiſum caput, & merita me me expleo cæde.
Eheu Rex demens, facinus qui cogitat atrox:
Pontificem templis aptum meliora monentem
Sacrilega violare manu, ſanctumque cruorem
Fundere, & armata moliri funera dextra:
Quin melior monitus Antiſtitis audiat vltro,
Et miſerandam animam ſcelerato crimine ſoluat,
Nec ſe præcipitem ſub aperta pericula mittat.
Sed non ſponte ſua iam Rex miſer, atque ſuis it
Arbitriis : agitur furiis, & turbine mentis
Huc atque huc fertur, nec ſe ratione gubernat.
Quo furor impellit demens, & triſtis Erynnis :
Quo rabies maleſuada rapit, ſine ducitur vllis
Conſiliis : hominum non hunc metus, atque Deorum
Incæpto retrahit : parat arma, & milite ſæuo
Cinctus it in cædem : mora longa fit omnis eunti.
Stat quocunque loco, quacunque occidere ſede
Pontificem, atque animam ſcelerato abrumpere ferro.
Vlli non hominum, diuumue pepercerit aris.
Forte Stanislaus Gracchi extra mœnia præſul
(Omnia namque illic ob regem templa ſilebant)
Sacra Michælis parua faciebat in æde:
Poſt vrbem, Caſimire, tuam, qua ſe Iſtula findit:
Alluit & miſtum diuiſo flumine ciuem.

Nn Huc

Huc actus furiis Rex fertur, & impete magno
Templa Dei subeat, sed misso milite, sacra
Pontificem iubet æde trahi, tractumque necare.
Sat visum templis diuorum arisque dedisse,
Si non pontificem sacra obtruncaret in æde.
It miles dicto parens, & iussa capessit:
Templumque ingressus sanctum, tracturus ab ara
Pontificem: diuumque adytis, quis numina lædat?
Ter miles vim ferre parat, ter concidit amens,
Attonitisque animis it verso poplite retro.
Nil tamen hoc Regis sæuissima corda furentis
Mitescunt magis, aut dextra cadit vltor acinax.
Quin magis indignans, dira ceu pulsus Erynni,
In templum frendens ruit: obiurgatque morantes
Armatos, resides animos, imbellia corda
Exclamat, qui non iam dudum ex æde reuellant
Pontificem: & sacris operantem cæde cruentent.
Succeditque operi scelerato, & fertur in hostem
Non hostem, infelix sed quem sibi fecerat hostem,
Dextram iniecturus, iamque auulsurus ab ara
Pontificem; ferroque virum violare paratus,
Atque Deos: retro Rex it. mirabile visu,
In terramque, vlli non tactus, voluitur amens
Protinus, immotusque iacet ceu truncus humi Rex.
Mox surgens, animoque resumpto, rursus in aram
It: ferroque caput facientis sacra cecidit
Pontificis, cæsumque trahit violentus ab ara:
Ante foresque necat templi, timuisse putandum est
Tectorum casum, & præsentis numinis iram,
Ne se se media vindex in cæde lacunar
Obruat, & sceleratam animam scelere vltor in ipso
Auferat irata dextra Deus, & nece sæua.

Quasque

Quaſque furens animis violarat martyre cæſo,
Ipſe cruore ſuo ſacratas imbuat aras.
Non ſatis immani fuerat ſæuoque tyranno,
Pontificem vita ſpoliare; & ſternere ferro
Sanctum Pontificem, niſi centum in fruſta cadauer
Enſe ſecet. ſpargatque ſacratum corpus in auras.
Ante fores ergo non vno vulnere cædem
Expedit, offenſi quid non facit ira tyranni?
In partes corpus ſæuo ſecat enſe minutas.
Hinc caput, inde manus, dextram hinc, atque inde ſiniſtram,
Inde pedes, genua hinc, diuellit ab artubus artus.
Non tergo ceruix, humeriſue hæſere lacerti:
Non cruri femur, auulſis non tibia ſuris.
Barbarus vt quondam charo crudele perempto
Fratre furit miles, fraternaque vindicat vltor
Funera, & incumbens multa nece ſæuit in hoſtem:
Vulnera vulneribus geminans atque ictibus ictus,
Nec ſe explere poteſt, dum ſpiritus artubus vllus
Palpitat: & motare animam videt eruta membra.
Præſule non aliter trux Rex ſe geſſit in ipſo;
Trux magis, heu dirus magis, heu truculentus & ille,
Barbarus ille magis, ſectos, vt ſe expleat, artus
Diſcerptumque cadauer agrum iactare per omnem
Imperat: alituumque eſcam iubet eſſe ferarum.
At Deus omnipotens cælo demiſit ab alto
Terribiles roſtris aquilas atque vnguibus vncis
Quatuor, a totidem cæli quæ partibus artus
Alitibus ſeruent auidis, & vulture pulſo.
Viſa quoque in noctem medio fax lucida cælo,
Quæ ſparſum illuſtret nocturno lampade corpus.
Quo monſtro attoniti ciues, quum poſtera primum
Titoni croceum linquens aurora cubile
Effulſit terris, collectos vndique tollunt

 Com-

Componuntque artus vna, conduntque feretro.
Hic maius sequitur, vidit quod nulla vetustas
Prodigium: coiere artus, mirabile dictu,
Inque abiere suam nullo cogente figuram.
Prima redit facies superum vi, nulla cicatrix,
Non vllæ plagæ manserunt, viuere dicas:
Frigida ni rigeant immoto corpore membra.
Protinus audita re, monstroque excita tanto,
Circumfusa ruit late Cracouia tota:
Et ciuis, Casimire, tuus: studioque videndi
Huc omnis populus, vicinaque confluit ora.
Mirantur, coiisse artus diuersaqua membra,
Quæ nuper disiecta agros videre per illos.
Agnoscunt veterem faciem, diuamque figuram,
Pontificisque sui vultus; si vita maneret;
Attonitique stupent: illum hic, hic aspicit illum,
Si credant sibi, quæ coram cernuntque, videntque.
An Rex immanis rursus tela impia sumes?
Sacrilegasque manus superis infensus & æthræ
Intuleris demens, diuum & miracula solues?
Inque anima cassum tua strinxeris arma cadauer?
Quanti olim infelix, heu quanti optaueris emptum
Pontificem intactum, & sacrum seruasse cruorem?
Mox regno, breue tempus erit, depulsus auito
Lugebis tua facta exul, tecta extera quærens.
Condere corpus humi, sanctumque inferre sepulchro
Tempus erat, nullo ne magnus honore iaceret
Martyr: magna licet populo spectare libido
Præsulis ora sui, nec se satiare videndo
Attoniti possint: aut fixa cadauer in ipsum
Lumina, & intentas valeant auertere mentes.
At tandem dant corpus humo, vilique locatus
Aggesta e terra tumulo Scepanouius heros

Maximus

Maximus, exigui iuxta iacet oſtia templi,
Non illi populus dare marmoris auſus honores,
Non intra delubra illum tumulare Deorum,
Non lugubre canunt: tumulum nec carmine ſignant.
Talia ſi faciant, ſæuum timuere tyrannum,
Funeſtaſque manus: iterum ne dirus in aras
Irruat, & clauſa manes diſturbet ab vrna:
Pontificemque ſuum videat Cracouia centum
Sectum in fruſta iterum, diſcerptaque præſulis ora.
Non hæc finitimas tantum vulgata per vrbes
It fama, & crudele nefas. non frigidus axis,
Nec ſoli hoc ſeptem funus fleuere triones:
Res late exierat, populoque audita Latino eſt,
Heſperieque omni. iam Tybridis accola luget,
Romuleuſque pater, vaſti datus arbiter orbis,
Terrarum cælique potens, nigræque gehennæ,
Ingemuit cæde audita, lachrymaſque profudit:
Exciderat que ægro prope vertice ſacra tiara,
Dextraque vix ſceptrum tenuit; cubitoque moratus
Incumbens, humeris heros caput exerit altis
Turbidus: & mixta lachrymis ſic intonat ira.
Ergo crudeli Rex barbare cæde tuliſti
Pontificem? cælique virum, templique miniſtrum?
Diuorumque domos temeraſti martyre cæſo?
Irato pœnas olim Deus ore repoſcat,
Et des crudeles, crudeliſque exigat orcus:
Regali interea nobis ſpoliandus honore es.
Continuoque omnem, qua ſe Iſtula fluctibus infert,
Sarmatiam diri Regali iure tyranni
Edicto ſoluit ſacro: populumque, patreſque,
Liberat imperio, Regaleque ſuſtulit oſtrum:
Iuſque Boleslao Regni, indignatus, ademit.
Ferre nefas ſceptrum, capitique adhibere tiaram

Eſſe

Eſſe iubet: diriſque caput ſtygiæque paludi
Deuouet, extinctiſque canit mala carmina flammis:
Præſentans illi tenebras noctemque profundam.
Talibus immanis factum crudele tyranni
Caſtigat, cædemque pater Romanus inultam
Haud ſinit: & fuſum non olim impune cruorem
Pontificis iuſta perculſus vindicat ira.
Præterea ſacris impoſta ſilentia templis.
Non fas pontifici ſolennes ducere pompas,
Non canere ante aras, voceſque attollere cælo.
Murmurat in templo demiſſa voce ſacerdos,
Valuarumque homines obiectu ſubmouet aris.
Pulſa nec excelſis reſonant in turribus æra,
Temporibuſue ſuis populo dant ſigna vocato.
Luce ſub extrema ſi quem ſua fata vocarunt,
Non decus inferiæ, non vllos funus honores
Ære tulit pulſo: nec mœſtis vocibus hymnus
Placauit manes, veniamque popoſcit Olympum.
Conduntur pura morientum corpora terra,
Indecoreſque iacent quocumque in puluere ciues,
Auratumque equitem marmor non claudit auitum.
Hic quoque cernere erat, populos diſcrimine nullo
Ire, iugo poſtquam excuſſo ſpreuere tyrannum.
Vulgus honoratis, comiſtaque ciuibus it plebs.
Non dominum glandem ructans agnoſcit agreſtis
Armatus ſude ferrata, non vertice nudo
Cerdo magiſtratum meritoque affatur honore.
Cuncta ruens, ſine more furit laſciua iuuentus,
Nulla olli ſat clauſa domus: non vectibus vllis
Defenſæue nurus, caſtæue fuere puellæ.
Scilicet irrumpunt magnæ in penetralia Veſtæ,
Intactos thalamos, & ſacros diis Hymenæos
Auſi polluere, anſanctumque auferre pudorem

Accinctus

Accinctus ferro pauper locupletis in ædes
Currit hians prædæ, gazamque fatigat auari.
Importuna animos mendicis addit egestas.
Ius erat in dextra, quo fert sua quenque libido,
Irrumpit demens, campo grassatur aperto
Securus latro pœnarum, & carceris atri.
Qua fert cunque pedem trepidat cum fasce viator,
Prætentasque notis ludentibus expauet vmbras:
Prædonem metuens ramo latitare sub omni.
Non noctem ciues horrent, tenebrasque ruentes:
Luce furens media stricto siccarius ense
Irruat, atque palam quemcunque impune trucidet.
Non fora, non leges, non iudicis ora seueri,
Non vlli fasces metuuntur: vi geritur res.
Hos motus, quos ipse malis exciuerat ausis,
Arce Boleslaus nequicquam spectat ab alta:
Et spretus vana sine viribus æstuat ira.
Qui modo Sarmatiam late tremefecerat omnem,
Et fortes sumptis terrebat Theutonas armis,
Aruaque possesso septem subiecta trioni.
Hunc nunc impauidi brevia intra mœnia ciues
Contemnunt, coramque audent excire tumultus.
Et quod triste magis, quodque exitiale turanno:
Consilium proceres agitant, omnisque senatus:
Ponere Regales fasces, & sceptra negantem:
Seu perdant ferro, seu captum in vincula ducant.
Ferre Boleslai iam dudum dura nequibant
Imperia exosi, & nullis tolerabile Regnum.
Non hoc grande malum diri crinita cometæ
Præluxit fax vlla, leues quæ sydera vates
Conscia fatorum dicunt, casusque futuros,
Regnorum excidia, & Regum portendere cælo,
Cladesque, stragesque, atque illætabile bellum.

Ergo

Ergo vbi ſe primo ſenſit rumore petitum
Inſidiis, cecidere animi, nec conſcia tanti
Mens ſceleris ſtetit: inuicto non pectore virtus.
Quid faciat Rex infelix? cui Regia non eſt
Tuta ſat iratis patribus? ſubeatne periclum?
Cogitat inſtanti ſe ſe ſubducere fato,
Molitur tacitamque fugam, Regnoque relicto
Cum paruo ratus exilium ſibi quærere nato.
Pannoniam venit, Regemque petiuit amicum:
Eiectum regno quem quondam in ſceptra reduxit.
Illic non aurum, non illic Regia Gaza,
Non ſtructiue tori, non alta palatia deſunt:
Ille modo expoſcat, non vlla negata voluptas.
Hic primum ſceleris memori, cum ſæua quierunt
Corda Boleslao, poſitoque inſana furore
Exceſſit rabies: & priſtina reddita mens eſt.
Multa mouens animo turbato pectore fatus,
Heu quid, ait, volui miſer? aut quis me impulit error?
Sanctum pontificem, diuum, ſceleratus, ad aras
Sacrilega occidi dextra, corpuſque ſacratum
Centum in fruſta amens ſecui, ſparſumque per auras
Vulturibus canibuſque dedi crudelis in eſcam.
Quis Deus huc adigit, dæmonue? quis abſtulit ægro
Mentem animumque mihi? quin protinus ima dehiſcis
Terra? nigroſque aperis manes, Acherontaque dirum?
Ditis Regna patris, multo loca ſulphure fæta,
Et pœnis, quas promerui? quin terra dehiſcis?
Et me tergemini viuentem mittis in ora
Inſaturata canis? mactandum rictibus illis?
Aut tu ſontem animam hanc cælo indignatus ab alto
Funde pater dextra, & ſæuo me fulmine tolle.
Talia iactabat, mortemque miſerrimus vltro
Poſcebat, lachrymiſque genas fœdabat & ora:

Ilia

Ilia concutiens gemitu & ſingultibus ægra.
Non epulas capere, aut ſpecioſum haurire falernum
Deliciæve iuvant ullæ, cantusve, lyræve.
Absque cibo ſolem, & ſtellas videt absque ſopore.
Exagitata malo mens non capit ægra quietem,
Humida nec gravido nox prenſat lumina ſomno.
Viſa animum interea ludunt, & corpore caſſæ
Ante oculos media volitantes nocte figuræ.
Heu, qui non acies, qui non modo tela timebat,
Non truculenta ducum mediis in millibus ora:
Hunc vanæ ſpecies atque irrita terret imago.
Hinc triſtis ſævas agitans in pectore curas,
Conſilii ignarus melioris, ſeu Deus ultor,
Seu cæca impulerat veſania, mentis inops Rex,
In ſylvas abiiſſe vagus lucosque profundos
Fertur: & a canibus veſtigia nota ſecutis
(Queis rabiem Deus & ſævas immiſerat iras)
Interiiſſe ſuis, factus miſer eſca ferarum:
Dente truci laniatus, humi ferus occubuit Rex.
En memores iuſtosque Deos! quæ funera ſanctis
Manibus, inſontique animæ ferus ille pararat,
Hæc eadem patitur, ſparſusque cadavere toto
Atra canum infelix rabidorum viſcera complet:
Semianimesque feris trepidant ſub dentibus artus
At tu magne toros pater o Scepanovie ſacros
Sede tenes celſa, & poſitis ſtas aureus aris.
O patriæ tutela tuæ, cui Sarmata largum
Thus adolet, ſeptemque genuflexere triones:
Et ſæpe ereptis diſcrimine civibus olim,
Plurima cui totis pendent donaria templis:
Placatum precibus ſupremum redde tonantem
Sauromatis, cunctisque tuos defende periclis.



Oo FLAGEL-

FLAGELLUM LIVORIS

Continens omnia fere Metrorum genera, quibus usus est Horatius.

Nihil, Deo volente, livor officit:
Nihil, Deo nolente, proficit labor.

CRACOVIÆ
Ex Officina Lazari. Anno Domini M. D. LXXXiij.

IN STEMMA JELITARUM SIVE SARIADARUM
MONOMACHIA GRATIARUM & EUMENIDUM.

Hastarum fascem, proavorum Stemma tuorum,
Virginea Charites *diripuere manu.*
Telo quæque suo adversam confecit Erinnym,
Et Stygiam rapta cuspide fixit anum.
Inprimis Aglaia, caput confodit Alectus,
Hastaque funesto sanguine tincta fuit.
Tisiphones pectus, vivis natricibus hirtum,
Transadigit gracili, pulcra Thalia, manu.
Conficit Euphrosine lethali cæde Megæram,
Traiecit mediam fraxinus Eumenidem.
Dumque videt Livor *morituræ vulnera matris,*
Orphanus infelix, matre cadente, crepat:
Victricesque Deæ, Furiarum Strage peracta,
Hastas in fascem composuere, suum.

PHTHONOMASTIX AD ZOILUM.

Quod si flagellum non times, o Zoile,
Ne verberere Scorpionibus, vide.

FLAGEL-

FLAGELLUM LIVORIS

Continens Odas unam de viginti:

Ad Illustrem & Magnificum Mecœnatem.

ARGUMENTUM

Omnia ſuis peſtibus eſſe obnoxia:
Inprimis vero, VIRTUTEM Invidiæ.

ODE PRIMA.

OMnia Mecœnas proprio exercentur ab hoſte:
Namque Deos hominesque remordet.
Adverſus genius, ſua ſtant incommoda brutis:
Et plantis, gravibusque metallis.
Ecce Deos armis infeſtavere Gigantes,
Sacrilego Mavorte ſeveri.
Invidere Jovi ſceptrum, paterasque beatas
Concilio, menſisque Deorum.
Sidera ſideribus contraria numina quosdam,
Dextra iuvant, vexantia plures.
Jam proſunt elementa, eademque animalibus obſunt:
Conſtituunt, & corpora ſolvunt.
Ignibus en ſylvæ pereunt, uredine meſſes:
Et pratis inimica locuſta eſt.
Quæque ſuis tineis obnoxia, cernis ut hortum
Erucæ populantur agreſtes.
Frondis opes adedit bruchus nemorisque coronam,
Et vernos accidit honores.
Curculio Cererem lædit, Convolvolus uvam,
Et fucus flaventia mella.

Thesauros rubigo comest, ærugo metalla:
Dispereunt putredine ligna.
Insidias tendit stabulis truculenta ferarum
Esuries, tristisque vorago.
Ast homini lupus est homo, nullaque bellua plures
Mortales, cognataque læsit
Corpora, quam rabies hominumque insania lædit,
Mutua qui sibi retia tendunt,
Inque vicem se se miseranda cæde cruentant
Sanguinis, heu, tam prodiga pubes.
Et velut in sua coniurati funera cives,
Præcipites rapiuntur in arma.
Nonne vides homines pasci discrimine fratrum, &
Vicinis successibus uri?
Sauciat occulto præcordia vulnere Livor,
Et fibras exulcerat imas.
Fortunam sequitur comes, ut sine nube micantem,
Umbra sequi solet æmula solem.
Sed cedo, quid meruit tandem immeritissima VIRTUS?
Cur gemit huic obnoxia vermi?
Scilicet hoc scelus Heroumque Deûmque noverca,
Immisit sævissima Juno.
Elevet ut laudes operosaque facta bonorum,
Rumores mentitur inanes.
Sub Junone fera Livoris militat ala,
Imperiis Junonis obaudit.
Æolon instigat Juno, dum præcipit Euris
Æneæ subvertere classem.
Livoris matri iubet imperiosa Megæræ,
Vt Rutulos accendat in arma.
Matribus hæc quoque Troianis incendia suasit,
Subiiciant ut navibus ignem.

Herculeis

Herculeis etiam immisit Saturnia cunis,
Cæruleos, duo monstra, colubros.
Læsit semideos & pectora debita cœlo,
Obiiciens certaminis ansas.
Hæc quoque Mecænas voluit tua facta morari,
Livoremque molesta subornat.
Hic insincero tua lancinat acta cauillo,
Cuncta notans aspergine nigra.
Sed velut e solido conflatilis ære columna,
Non cedit tua vivida VIRTUS.
Succubuit Livor, cuius certissima clades.
Hoc nostro descripta libello est.

De Livoris ortu.

ODE II.

LIvoris ortus manat ab inferis,
Authore iactat se Cacodæmone.
Impleta Cocyto Megæra,
Quem parit atra, fatu maligno.
Lævo solutus membra Cupidine
Cocytus ardet, deperit impiam
Stupratque Dirarum Sororem, &
Suscipit exitiale monstrum.
Quod gestat alvo sæva puerpera,
Motu senili donec in æthere
Compleverat Saturnus annum,
Atque suum peragravit orbem.
Fœcunda demum parturit Eumenis,
Quæ mille tetris acta doloribus,
Aptum sibi quærit cubile,
Tartareis ululans in antris

Tandem

Tandem recessu fluminis ultimo,
Lætata ripis Tartareæ Stygos,
Curvisque Mæandris Averni,
Qui novies Acheronta cingunt.
Selegit umbras & loca partui,
Tam pœnitendo prorsus idonea,
Æterna quæ caligo texit,
Cimmeriæque premunt tenebræ.
Hic semper auras noctua ventilat:
Hic ominosus nycticorax volat:
Hic murium cœtus volucris,
Obstrepit in tenebris vaganti.
Hic multa surgit taxus in æthera,
Buxusque pallens, pinus & ardua,
Surguntque funestæ cupressi, &
Flumen amantia populeta.
His ergo partum sedibus edidit
Proiecta densas inter arundines,
Livoris atri dira mater,
In Stygiaque reponit ulva.
Dum triste vagit progenies fera,
Stridore totos concutit inferos,
Accurrit Orci fœda labes,
Monstriferique caterva Ditis.
Mater terrarum Tisiphone prior,
Charo nepoti præbuit ubera:
Ferale suxit lac alumnus,
Nequitiæque bibit medullam.
Post hæc Alecto serior advolat,
Et gratulatur læta puerperæ;
Quassat caput sævum colubris,
Crinibus aguiferis timenda.

Conta-

Contagiosis horrida basiis,
Dissuaviatur labra trementia,
Ducit venenum tristis infans,
Imbuit ossa trucesque venas.
Cunas ad illas & Nemesis venit,
Vna Querelæ & Vociferatio,
Huc Ira passu concitato,
Atque silens Odium volauit.
Fatale munus tristeque Pægnium,
VIRTUS Olympo misit ab igneo,
Vt sopiat voces nefandas,
Et pueri fremitus malignos.
Limam trecentis ictibus asperam,
Vt Livor illam manderet improbus.
Vt discat exercere morsus
Indomita domitrice ferri.
Sed dente rodit dum chalybem truci,
Se lædit ipsum ridiculus puer.
Nam bolus inconsumptus, atros
Atterit & violat molares.
Sic fertur infans ille adolescere,
Caliginosis editus in locis.
Velocibus pennis in auras
Hinc solet evolitare monstrum.

Livoris Descriptio.

ODE III.

NOsse cupis faciem Livoris, & ora mordicantis.
Apellis udo picta penicillo?
En, quod poscis habes, monstrum Furiale conspicator,
Et cominus vide nefas nefandum.

Quod

Quod velut in ſcenam producitur, & ſacrum triumphum,
Spectaculo fave Patrone quæſo.
Adſpice prodigium, ſuetum tua facta criminari,
Et gloriæ tuæ quod imminebat.
En caput horrendum, de quo coma viperina pendet,
Cui mobiles vivique ſunt capilli.
Et quos non agitat Borëas minaxque Apeliotes,
Sed viperas movet ſuum venenum.
Pervigiles oculi nimiumque volubiles vagantur:
Obtutus inquietus & cruentus.
Ambiguo radio, partem ſimul intuens utranque, &
Albugine obliqua, nimisque pæta.
Buxea labra tremunt, rubigine nigricant vetuſta,
Cum dentibus primoribus canini.
Gutture vox rauco teterrima, vox inauſpicata
Dum prodit, ingens obſtupeſcit orbis.
Hæc vox rumores & nuntia ſeminat ſiniſtra,
Adulteratque gloriam bonorum.
Vulturis eſt roſtro naſus vigilantior ſagaci,
Odore cladis paſcitur dolendæ.
Et macie vultus conſumitur invidæque malæ,
Vix oſſibus ſtrigoſa pellis hæret.
Cordis enim virtus eroditur intimæque fibræ,
Quas exedunt ſtriges feræque larvæ.
Æmula mens & lingua procax. manus otioſa torpet,
Dum nil facit, præclara facta culpat.
Ambiſiniſter enim Ceromatæ Livor atque arenam
Detrectat, invidet tamen labori.
Vitat curriculum & certamina, pulveremque feſtum,
Bonis tamen data uritur corona.
Infeſtis queritur ſtridoribus, ungve, dente, voce
Bacchatur, alas concutit feroces

Alis

Alis Nycteridum ſimiles. Volucris velut Dracæna,
Si in rupium laceſſitur cavernis,
Sibilat, evomitat flammas, ſinibus rotata crebris,
Et ipſa vapulat ſuo veneno.
Morſibus horrificis dum ſe petit atque mordet ipſam,
Et ſpiculo ſibi nocet biſulco.
Sic quoque livor edax. virtutis honore provocatus,
Se morſibus caſtigat ipſe iuſtis.
Extremo dorſo trahitur, colubrique crevit inſtar:
Plicatilis ter mille cauda ſpiris;
Quæ longo tractu maculat ſpatium viamque totam,
Quacunque ſerpit virulenta labes.
Harpyiæ ſimilis, quæ proluvie ſoluta ventris,
Menſas & agros inquinat volando.
Tardior eſt illi, ſed non ſine fœditate motus,
Progreſſibus tamen ſuis valeſcit.
Et qua progreditur, ſi non populatur atque vaſtat,
Certe locis aſpergit ille labem.
Quæ tangit, fœdat: quæ transvolat, halitu perurit,
Et inficit quæ dentibus prehendit.
Ingenio nigro perimens oculoque pervicaci,
Veneficaque pupula trucidat.
Faſcinat auditu contagia rebus affricando,
Guſtataque ipſo concoquit palato.
Profuit & nares vitare bonis viris odoras,
Occaſionesque amputare peſti.
Præcipue ſi quis quovis penetrabilis periclo eſt,
Nec ſuſtinet vulgi leves ſuſurros,
Ille domi lateat, cælans benefacta præmiumque,
Contentus angulo arbitrisque paucis.
Sed cui ſpiritus eſt nullo ſuperabilis furore,
Suffragiis rumoribusque maior,

Ille foris pugnet, pleno bene firmus in theatro,
Vadatque Marte dimicans aperto.
Non parebit inops Livor, ſed abibit, & venena
Convertet in ſuum caput reſorpta.
Ut iacit ex oculis mortem Baſiliſcus in colonos,
Quos eminus præverterit videndo.
Si tamen in ſpeculo ſe ſe videt author ipſe lethi,
Mox pupulæ perit ſuæ veneno.
Sic quoque Livoris natura reciprocumque virus,
Prius parentem ſæpiusque torquet.
Belua Pompeia digniſſima lege, culeoque
Cum viperaque ſimiaque, claudi.

Quæ ſint voluptates, & quæ tormenta, degeneris Invidiæ.

ODE IIII.

LIvori, Charites, quid placet impio,
Aut quæ pabula ſunt invidiæ trucis;
Blando dicite verſu, &
Muſæ progenies Jovis.
Nimirum ſcelus & pernicies virûm
Paupertas lacero ſqualida pallio,
Infamisque voluptas,
Decoctrix patrimonii.
Socors ingenium, pigritia grave,
Contemnens humili pectore glorias,
Mens demiſſa, ſolo quæ
Sidit reptilis infimo;
Imprudens animus ſorsque miſerrima:
Ægroti facies lurida corporis:
Triſti membra grabato
Decumbentia iugiter:

Nec

Nec non mors tragico funere tabida,
Famam ſi maculis turpibus oblinit.
Si poſt fata parentum,
Paupertas premit orphanos.
His pingueſcit iners Livor & improbus:
His illum genitrix invida pabulis
Denſa nutrit in umbra,
Dum peſtem Canis educat.
Sed rurſum teneræ dicite Gratiæ,
Quos hoſtes habeat Livor, & horrido
Quiſnam dente petatur
Monſtri degeneris precor?
Nimirum probitas atque hominum ſalus,
Quæſitæque bonis divitiæ modis:
Frugaliſſima VIRTUS,
Servatrix patrimonii.
Felix ingenium, quod petit ardua,
Excelſo ſitiens pectore gloriam,
Adſpirans in Olympum,
Curis inſuperabile.
Tum ſolers animus forsque opulentior,
Vires eximiæ corporis ardui,
Quod pulchram vegetamque
Præſefert habitudinem,
Mortis mite genus, gloria ſubſequens;
Poſt ſummos cineres, poſteritas bona.
Quæ VIRTUTE coruſcat,
Fortunatior in dies.
His ægreſcit iners Livor & improbus;
Hæc illum perimunt Theſſala toxica:
Hæc diræ, bona, peſti,
Perſtringunt oculos malos.

 Dent

Dent ergo ſuperi, Livor ut invidus,
Horis excipiat vulnera ſingulis,
Morſu inflicta perenni
Sævi dentis & ungvium.
VIRTUTIque ſacræ ſtent ſua præmia,
Splendor, divitiæ, veraque gloria,
Et ſtipendia, ſudor
VIRTUTIS ferat igneæ.

Rogantur Gratiæ, ut cicurent Invidiam, eamque reconcilient Virtuti.

ODE V.

O Nexus Charitum cœlicolis mitior omnibus,
Nodo virgineo quem religat cingulus unicus;
Cur monſtrum pateris tamque nefas incicurabile,
Afflatu nocuo geſta hominum lædere fortium?
O non immemores artifici ſurgite virgines,
Livorem gracili quæſo manu prendite ſtridulum.
Manſueſcat manibus fœmineis livida bellua:
Notis incipiat vocibus & plauſibus obſequi.
En miteſcit equus nec refugit frena & ephippia:
Poppyſmo facili perdomitus dat caput aureis.
Sic ingens elephas æſtiferis ductus ab Indiis,
Diſcit militiam, fert ſolidas tergore copias.
Urſus Mænalium vel Scyticum quem nemus educat,
Exercet choreas non ſecus ut Ludio Roſcius.
Veſtro numine fit blandior, & Pardalis & Lea:
Aſſueſcit manui tam placidæ vel draco lubricus.
Solus Livor iners omnibus eſt vipera viperis
Intractabilior, tam faciles nec patitur manus.

O Diana,

O Diana, feram folivagam retibus implica,
Et captam lepidis trade precor Cynthia Gratiis.
At vos o Charites, virgineas sumite fascias,
Qui vos perpetuo iure ligat: sumite cingulum,
Cervicemque iugo vipeream subdite libero,
Et rictum tenera monstrificum nectite fibula.

Responsio Gratiarum, non posse illarum comitate mansuefieri Livorem, neque retibus Dianæ capi.

ODE VI.

LIvorem non est nostrum cicurare protervum;
Nec inquinari hac labe Gratias decet.
Tractatur melius Libycis Basiliscus in antris;
In aridaque sæva solitudine
Dipsas, quæ morsu sitibundos enecat artus;
Quam Livor ille carnifex domesticus.
Nec Diana solet turpes agitare colubros,
Assueta ludis virgo gratioribus.
Nec maculare volet puros innoxia casses,
Nec Diva persequi hanc feram dignabitur.
Nec terrere canes illam latratibus audent,
Ne præda fascinet molossos præpetes.
Nam velut irritata, canes incantat Hyæna,
Aufertque vocem persequenti vertago;
Sic animum Livor vocemque veneficus aufert,
Dum ringitur, canes fugat venaticos.
Respergit fugiens rabidis vestigia spumis,
Quas nulla contingit vel olfacit fera.
Mulcebunt igitur Charites, quod sæva Diana,
Abominata, non movet venabulis?

Non

Non facient certe, nec fas eſt ſtringere cœſtu,
Enorme collum, & cingulo ſororio.
Nec ſacra fœdabit tam triſte monilia monſtrum,
Et fibulas, & virginales faſcias.
Non illi dabitur Charitum contingere lucos,
Dapesque puri ſimplices convivii.
Nec turbabit Acidalias hæc vipera lymphas,
Ne virus innatet piis liquoribus,
Spargens cæruleos in aquis liventibus orbes,
Eheu, veneni ſigna præſentiſſimi.
Præterea nobis gliſcunt ſine fœdere lites,
Hæreditariique iurgii calor,
Cum Livore malo, miſerisque parentibus. Ergo
Faceſſat & Megæra, & filius ferox,
Tiſiphoneque minax, abeat lethalis Alecto,
Contrariæque Gratiis Erynnyes.
Dispereatque malus livor Cocytia proles,
Et nemini tractabilis ferociat.
Non manibus noſtris mulcenda nigerrima labes,
Sed igneis eſt exedenda vermibus.
Quam Lumbricus edat, quam potet hirudo paluſtris,
Atræ Stygos, cum flammeis natricibus.
Nos Jovis inſontes natæ, nec triſtia palmis
Portenta mulcemus piis, nec vocibus.
Nam ſi quid Furiarum vel Livoris habemus,
Heu Gratiæ ſtatim ſumus non Gratiæ.

Ad novem

Ad novem Camœnas, ut muſicis harmoniis leniant Invidiam, vel denique ſopiant.

ODE VII.

FLexanimes Divæ, queîs vocum Gratia curæ eſt,
Suavitasque carminum Pieriumque melos;
Delinite fremens & inexorabile monſtrum,
Sono modisque Muſicis arteque melliflua.
Nunc Helicon grata vice Parnaſſusque bivertex,
Spirantis Hyblam carminis, nectar & omne, ſonet;
Ut miteſcat atrox Livor, vel membra ſolutus,
Humique fuſus dormiat voce ſoporifera.
Numine Pegaſides veſtro placatur Olympus,
Placantur inferi graves, Oceanusque furens.
Auritas ornos deducere montibus Orpheus,
Æmique vepres horridos Caucaſeosque rubos
Creditur; & choreis nemus indulgere videres,
Dum filius pulſat fides Calliopeia tuus.
Amphion etiam lapides in mœnia cogit,
Petras ciet ſurdiſſimas carminis obſequio.
Æquoreos piſces Cythara demulſit Arion,
Jactura navis perfidæ: & victima blanda maris:
Delphinum dorſis equitat proiectus in æquor,
Ad continentem patriæ Tenariasque plagas.
Somnum inducit Ariſtoridæ Cyllenius Argo,
Pigrum ſonante fiſtula ſomnificisque modis.
Centum palpebras fallaci carmine ſopit,
Cuſtode cæſo, pellicem ſurripit Inachida.
Threicius fidicen placat teſtudine Manes,
Ditisque coniugem feri, Tartareumque canem.
Quis tandem dubitat, veſtra quoque poſſe donari
Chely, minutam beſtiam vermiculumque levem,
Livorem

Livorem Stygium, Furiarum ignobile germen,
Nigrique tormentum ingeni, quod ſua corda comeſt?
Ne petat indigno VIRTUTEM dente coruſcam,
Sed in ſuis cubilibus dormiat angvis iners.
Extendat gelido ſinuoſum corpus in antro,
Obaudiatque vocibus Biſtoniæque lyræ.
Ne bilis triſtes animos obnubilet atra,
Vmbratilis malignitas ne fera corda premat,
Jam fidibus doctæ, iam voce ſonate Camœnæ,
Concors per auras Muſice perſtrepat æthereas.
Terpſichore canat arguta Cythariſtria chorda,
Cœleſtis autor carminis intonet Vrania.
Temperet Euterpe varios tibicina flatus:
Dulces Thalia fundat & Calliopea ſonos.
Melpomene Clioque cavæ teſtudinis ictu, &
Grato ſuſurro perditam leniat invidiam,
Jamque loquax Erato & ſumat Polyhymnia plectrum,
Vt ferveat concentibus Phocidos omnis ager.
Theſpia, Libethros, Parnaſſus & Hippocrene,
Pimple ſcatentes rivuli, Caſtaliusque latex.
Forſitan incipiet Stygius manſueſcere Livor,
Solvet voluptas carminis Muſaque docta feram,
Auribus excipiet modulos, oculisque choreas
Innoxias mirabitur, virgineumque decus.
Quod ſi non capiet mentem dulcedo malignam,
Pergetque dente ſtridere triſtis Echidna malo:
Vel ſi damnabit caperata fronte Camœnas,
Obliqua cernens & gemens, indomitumque furens;
Tum ſaltem pigro iaceat reſoluta veterno,
Sopita cantu bellua Pieriisque modis.
Fiſtula Mercurii Divinaque virga, colubrum &
Inſomne mulceat ſcelus, ſtrataque membra domet.

Et quo

Et quo centoculum perimit Caducifer Argum,
  Hoc dormientis aſpidis amputet enſe caput.

Reſponſio Muſarum: Non poſſe edomari Livorem carminis dulcedine.

ODE VIII.

OBtruditur nobis alumnus improbus,
  Aonioque choro nimis moleſta vipera.
Quam nec movent docti fides Apollinis,
  Nec tenues calami raucumque plorans tibia,
Chelys loquax, effœminata Barbitos,
  Nec lyra triſte querens: nec ſibilantes fiſtulæ.
Rupes & arbores moventur ad ſonos,
  Ad numerosque ſuos dumi ſequuutur aſperi.
Delphines audiunt ſuſurros Lesbiæ
  Dulciloquos cytharæ, fluctus per altos plauſitant.
Cuſtos adulteræ iuvencæ ſedulus,
  Mercurii tremula ſopitus eſt arundine.
Canis trifaux, acerrimus Proſerpinæ,
  Divitis excubitor, dat carmini victas manus.
Sed livor infelix, feris immanior,
  Surdior Oceano, quovis rubo ſpinoſior,
Inhospitali Caucaſo ſylveſtrior,
  Piſcibus indomitis multo furit præfractior,
Immitior ſervante Manes Cerbero.
  Anguibus omnibus eſt Lacerta virulentior;
Et cæteris quo vermis eſt minutior,
  Dentibus horrificis eo tenacius premit:
Et ſtridula minutius teredine,
  Pectora comminuit quibus ferox innaſcitur.
Quodſi Camœnæ perſtrepunt vocalius,
  Mox quoque livor iners intendit acres ſibilos:

Stridet, ferocit, obſtrepit canentibus,
Atque ſuos fremitus opponit arti Muſicæ.
Quodſi choros exercet ulla virginum,
Legibus Harmonicis obtemperans docto pede;
Mox Livor æmulus, Camelo proſilit
Segnior, in tenebris ſaltus ciens inconditos:
Expandit alas, calcibus veſtigia
Inprimit ungviferis, ut per viam repens Draco.
Sed cauda ludentem ſecuta beluam,
Signat & inficit heu longo ſolum volumine.
Nec forma liberalis & modeſtia
Permovet indomitam ſurdamque mulcet aſpidem:
Fruſtra ſales funduntur & facetiæ,
Et placidæ Veneris feſtivitas innoxia.
Nec fortitudo Martis, & laudum ſitis,
Nec ſtudium Triviæ, ſagacitasque ſedula,
Livoris emollit feri præcordia,
Nec ſuperat miſeri crudele pectoris nefas.
Ergo Jovem ſonet Camœnarum chorus,
Atque viros celebret dignos Apollinis lyra.
Triſtis malignis eiulet ſingultibus,
Livor, & indoleat uſtus bonorum gloria:
Oblivione ſeculorum conditus,
Perpetua ſileat ſepultus in caligine.

De Livore Cacodæmonum.

O D E I X.

JNfelix Genius lapſus ab æthere,
Cum turba ſocii complice criminis,
Sidens in ſpecubus carceris infimi,
Flet ſedes male perditas.

Æterno

Æterno siquidem proxima numini
Cœlorum tenuit summa palatia,
Divinoque throno luminis Angelus
Vicinas coluit domos:
Felices oculos in faciem Dei
Defixos habuit, cœlitibus piis
Dæmon lucidior, spirituum sacris
Præfectus legionibus.
Sed fulgore sui luminis insolens,
Tantis intumuit cœcus honoribus,
De se plura sibi pollicitus miser,
Quam par & licitum fuit.
Maiestate DEI roditur æmulus:
Affectat solium numinis optimi:
Molitur Satàél imperium novum,
In summis Aquilonibus.
Sic cœlum studiis seditio nova
Turbat sacrilegis, plurima pars favet
Autori miseræ stulta coloniæ, &
Votum promovet impium.
Sed rerum genitor, fulmine perditos
Conatus dirimit, cum duce perfido:
Coniurata cohors protinus æthere,
Deturbatur ab arduo.
Constantes Genii lectaque concio,
Permansêre suis in stationibus:
Sub victore alacris principe militat
Felix ordo satellitum.
Verum dissidii Dux, reus ambitus
Et vulgus periit mobile cœlitum,
Turmatim ruit & fertur ad inferos,
Vt vis horrida grandinis.

Exutus radiis & redimiculo
Splendoris nitidi, cum grege Dæmonum
Suaſor perfidiæ truditur invidus,
Ad fundos Acheronticos.
Vrgetur tenebris igneque perpeti,
Ad palum Satanas vinctus aheneum
Diris compedibus: ſupplicio datur
Æterno, malus artifex.
Mutatisque locis & vice proſpera,
Infandisque gemens in cruciatibus,
Amiſſæ patriæ dum reminiſcitur,
Dentes dentibus atterit.
Succeſſura ſacris dum regionibus,
Humani generis reſpicit agmina,
Stridens invidia rumpitur, anguis ut,
Irritataque vipera,
Tormenti ſocios atque ſuperbiæ,
Ad cœtus hominum mittit ab inferis;
Vt mentes miſeras ad ſcelus incitent,
Nantes àëra Dæmones.
Illi conſiliis omnia peſſimis
Turbant, pectoribus crimina ſuggerunt:
Imbelles animas præcipites agunt
In fuſcæ puteum Stygos.
Inprimis Phthonos eſt peſſimus omnium,
Ses, excarnificans oſſa medullitus,
Vt nil invenias durius, & nihil
Hoc tortore ferocius.

Duo

Duo Livoris esse genera, bonum videlicet & malum. Cuius rei aliquot exempla subiiciuntur.

ODE X.

CUm primum Stygio vivax emergeret Orco,
Livor nefandus carnifex.
Heu primum fortunatos irrepsit in hortos,
Mentitus angvem lubricum.
Hic ubi par hominum fuerat, nova plasmata Divum,
Recens creati coniuges,
Livor erat scelerum sator, affectator Olympi &
Divinitatis arduæ.
Mox etiam terras infelix inquinat Hydrus,
Novos secutus exules.
Concitat in fratrem præcordia rancida fratris,
Suasitque parricidium.
Quicquid mundus habet scelerum, quid Olympus & Orcus,
Livore constant omnia.
Non tamen omnis erit livor damnandus ubique
Cum sit bonum alterum genus.
Si quis enim peior melioribus invidet, ut mox
Et ipse vir sit optimus;
Invidet egregie, generoso percitus Oestro,
Suam increpans ignaviam.
Sic opifex doctis indoctior invidet artem:
Sic diligenti segnior.
Quodsi non melior, similis tamen esse laborat,
Virtute, sorte, gloria:
Si videt uberius lætas adolescere messes,
Videtque dives horreum
Vicinum frugi, sequitur vicinus arator,
Quamvis iners & negligens,

Verſat humum ſolers, effœtos ſtercorat agros,
    Maturius quam cæteri.
Æmulus orator Ciceroni, miles Achilli,
    Et architectus Dædalo,
Vergilio vates, & Coo pictor Apelli,
    Phœboque cantor invidet.
Hic livor ſtimulos addit virtutibus acres,
    Tollitque ſomnolentiam.
Eſt tamen & livor nequam melioribus hoſtis,
    Eſt triſtis invidentia,
Quæ malæ VIRTUTI corrupta mente, precatur,
    Et ipſa nil facit boni.
Hic livor tacite ſegetes exurit agreſtes,
    Et palmitum propagines:
Vicinum pecus emulget, gracileſque iuvencos,
    Viſu facit venefico:
Faſcinat infantes, thalami divortia ſuadet,
    Rixaſque coniugum ciet:
Jurgia concordes diſſeminat inter amicos,
    Cædeſque patrat impias:
Et Phthiſin, & varios inducit carmine morbos:
    Fugat Lares domeſticos,
Inducitque malos Genios: alienat amicos,
    Et hoſpites ab ædibus:
Peſtes & maciem pecori meditatur, & herbas,
    Viſu facit marceſcere:
Perfringit vectes, agit in tellure cuniclôs,
    Regum petens æraria:
Captat fortunas, detrectat ferre labores,
    Opes in otio cupit,
Dum ſibi Divinos decerni poſcit honores:
    VIRTUTIS expers inclytæ eſt.

Hic tibi

Hic tibi Mecœnas invidit præmia Præfter;
Hic virulentus Scorpio.
Inter peftiferos occulta nitedula vepres,
Lethale fpirans toxicum.

Optimum Heroem & patriæ amantiffimum, extra omnem Invidiæ aleam evafiffe.

O D E X I.

HOs tu dante Deo fugis
Inferni fremitus & Furias graues.
Stridorem quoque cardinum, &
Portarum fuperas dira crepantium,
Quas ferrugine ftridulas,
Plutonis taciti fecit inertia.
Livorem pudet æmulum,
Quod te tam fatua mente laceffiit.
Et quod fpicula prompferit
In te iam pharetris omnibus omnia;
Enfes cotibus afperis
Nequicquam exacuens, telaque Martia.
Fruftra factitiis ferox,
Fulgetris crepat & fulminat infolens:
Vires exerit impares,
Nummos dilapidans & patrimonia.
Orci monftriferi ftupet,
Deploratque fuos Regia milites.
Cocytus genitor dolet,
Obtrito adfpiciens robore filium.
Tu moles velut ænea,
Fulmen Tartareum refpuis irritum.

Evadis-

Evadisque potentior
Insultu Stygio, fortis & inclytus.
Livoris positus manes,
Extra præcipitem iugiter aleam,
Et iactum variabilem,
Teli vulnifici fortis & invidæ.
Nam clades memorabilis,
Quam Livor fugiens auspiciis tuis
Accepit, memori metu,
Torrebit miseris invidiam modis;
Vt non audeat in bonos,
Instaurare suas perfida copias.
Sed callem tibi comparat
In cœlum pietas, optima pontifex.
Invitaque Jovis boni
Scandens ad superos, coniuge livida.

Rumores invidorum sparsi, in absentia optimi & clarissimi Senatoris.

ODE XII.

DUm Senator optime
Causa vocante publici negotî.
Commoratus es foris,
Formidolosus æmulis & asper:
Confodisque tristium
Cornicularum pupulas dolentes;
Heu mihi, quid improbus
Non ausus est disseminare Livor?
Fabulamque fabula,
Rumorque rumorem trahit malignus:

Alter elevat decus:
Sudore partos atterens honores;
Alter hoſtis acrior,
Infauſta quæque & ominoſa fingit,
Otioſus invidis,
Et otioſis otioſa narrat,
Autor in foro novus,
Dum concionatur levi popello,
Fumivenda futilis,
Edentulas anus & omne paſcit
Vulgus uſque Næniis.
Strepitque tonſorum per officinas,
Per theatra per domos:
Narrator in conviviis ineptus;
Et ſubinde ditior
Mendaciorum acceſſione prodit:
Criminatur improbus,
Morumque ſanctimoniam tuorum:
Ille fretus angulo,
Miranda prædicit, ſiniſter augur:
Ille patre libero
Diſertus, invidentiaque lippus,
Fingit æmulis tuis,
Te ſupplicem manus dediſſe victas,
Turpiterque Gratiam
Hoſtes rogaſſe te tuos, fidemque
Sed prius caput petet,
In rivulum tenuem coactus amnis;
Fortitudo quam tua,
De viribus ſuis remittat unquam.

Solicitudo Deorum hominumque de optimo Senatore dimicante cum Invidia.

ODE XIII.

QUibus imo ſedet in pectore VIRTUS,
Quibus eſt vel tetricæ cura Minervæ,
Vocitarique boni forte viri iure merentur;
Simul omnes eadem ſolicitudo
Capiebat, ſimul omnes gemuerunt;
Tot acutis ſtimulis invidiæ te eſſe petitum.
Mala contagia Livoris & ipſos
Tetigerunt meliores & amicos:
Ita virus penetrans intima præcordia ſerpſit.
Tamen ingens hominum pars tibi favit:
Studuit quæ tibi rumore ſecundo;
Ea rurſus metuebat tibi rumore ſiniſtro.
Simul & Dii ſtuduerunt tibi ſancti,
Jovis & Mars ferus, Hermesque diſertus:
Aderat tum quoque blandiſſima Suadela Dearum.
Timuerunt tibi Muſæ Charitesque &
In Olympo ſuperûm humanius agmen,
Inimica modo ſola tibi Junone noverca.
Tamen illam Deus obiurgat amicus,
Oculorum ciliis Jupiter atrox.
Silet uxor, taciturnaque timet mente maritum.
Igitur Diique virorumque corona
Meliorum, tibi linguis animisque
Favet, & nil bonitas invidiæ caſtra moratur.
Sed & audax Lyrico mota furore,
Mea plaudit tibi devota Camœna.
Quoties de Furiis ferre triumphum perhiberis.

Nimis

Nimis acri queritur mœsta dolore:
Quoties vim perhibent invaluiſſe e-
Xitialem, caput inſons nimis urgentis Averni.

Expoſtulatio Virtutis cum Invidia.

ODE XIIII.

Livor infauſtæ ſoboles Megæræ,
O nepos atræ metuende noctis,
Nate Cocyto genitore nigro,
Livide fili.
Quid tibi VIRTUS nocuit frementi?
Aut quid Heròés nocuêre ſancti?
Cur tuo fœdo teritur bonorum
Gloria dente?
En iaces angvis piger in caverna,
Semper infames tibi quæris umbras.
Cur bonis ergo ſua denegari
Præmia velles?
Quo tibi faſces cupis aut honores
Jure decerni, locupletis atque
Læta ſuſpiras ſata latifundi,
Prædia, vicos?
Non tibi debet Deus otioſo
Iſta, nec lectus patriæ Senatus;
Sed licet flava tumeas & atra
Bile fatiſcas
Juris æterni titulo perenni,
Semper hæc VIRTUS operoſa tollit.
Illa ſudavit, ferat illi veri,
Culmen honoris.

 Quando

Quando tu ludis ferus insolensque,
Matre sub molli puer educatus,
Perticis audax equitas colurnis,
Compita lustrans.
Illa solertem peragit juventam,
Sub verecundo docilis magistro:
Trivit insontes data tædiosis,
Artibus, annos.
Quando tu Sylvis ululas paternis,
Nota rimatus fruticeta ducis
Vertagum loro, solita superbus,
Cæde ferarum.
Illa per libros volitans & urbes,
Aureum quærit studiosa ramum;
Possit ut tristes superare Lucos
Ditis Averni.
Tu domi tanquam Satyriscus exlex,
Opprimis Nymphas, Bromio calescis,
Cui voluptas est animumque rodens,
Alea cordi.
Abstinet VIRTUS, cupidoque frenat
Spiritus, Bacchi fugiens calorem;
Dum foris degit sequiturque duri
Prælia Martis.
Interim dum tu latitas in antris,
Fornici addictus, patrimoniumque
Decoquis, ludis, Lachitumque potus
Oppida turbas;
Edidit Virtus specimen laborum,
In toga prudens, patiens in armis;
Præparant artes in utramque partem
Nobile pectus.

Ergo

Ergo tu mutus miſerande Livor,
Semper in cœtu celebri tacebis,
Angulo tutus meliora carpes
Facta virorum.
Concionantem reueretur omnis
Ordo VIRTUTEM: regit illa Patres
Concili, fundens trutinata iuſto,
Pondere verba.
Tu domi ſtrato recubas cubili,
Merſus in plumis, Geniumque mulces,
Exigis cenſus inhiasque lucris,
Pœna coloni.
Ultimo durata Aquilone virtus,
Interim ſumptis oneratur armis,
Redditus & ſe patriæ ſaluti
Poſthabet ipſam.
Dic mihi ſodes poſito furore,
Præmiis iuſtis uter extat horum
Dignior? vel cui rogo debeatur
Gratia maior?
Nunquid ignavo ſtupidoque civi,
In toga muto timidoque in armis?
An bono & forti, patriæque cauſa,
Plurima paſſo?
Nempe qui plura & meliora ſemper
Egit, in longos referenda faſtos,
Præmiis amplis etiam ſub hoſte
Iudice, dignus.
Fasque ſi ſpectes apicesque legum,
Segnis & væcors, etiam parenti eſt
Imperatori bene dividenti
Prætereundus.

Deſinas

Desinas ergo, vel iners iacere,
Vel queri, quod te melior iacentem
Jure prævertit, sua tollat ut sti-
pendia VIRTUS.
Legibus sacris ita comparatum est,
Ut bonus pigro tibi præferatur,
Lævus ignavis DEUS, in merentes
Præmia transfert.

Nihil novi accidisse Mæcenati, cum eadem Fortuna presserit veteres Heroas.

ODE XV.

ACcidit an beate
Quid novi, quod te merito non meritum lacessat?
Non equidem putarim,
Cum scias priscos eadem semideos tulisse.
Hæc eadem protervus
Et malus Dæmon superis intulerat benignis,
Qui modo post labores,
Nectar in cælo liquidum cum Jove patre potant.
Prælia multa Juno,
Libero patri peperit, materiam laborum.
En reparatur Hydra,
Herculi ærumnas referens perpetuo renatas.
En Palamedis insons
Æmulum VIRTUS habuit dexteritasque Ulyssem:
Rursus & ipse Ulysses,
Sentit Aiacis furias & capitale virus.
Hectore sic Achilles
Morsus, Æneas Rutulo roditur ipse Turno.

Et patiens

Et patiens Athenas
　　Sparta facundas odio prosequitur vetusto.
Arsit & urbs Elisæ
　　Laude Romana, titulos imperiumque captans.

Criminationes æmulorum, salva Virtute, in ipsos redundavisse.

ODE XVI.

ÆReus ut paries, nec non adamantina turris,
　　Stat bene fixa solo:
Impetui minime cedens ictumque repellens,
　　Missile non metuit
Balistæ iaculum, fundaque volatile saxum:
　　Plura pericla ferens
In caput adversum iaculatoremque protervum,
　　Dum sine mente furit;
Crimina, sic tibi livor edax, obiecta resorpsit:
　　Ipseque talis abit,
Qualem te voluit: tunica velatus & illa,
　　Quam tibi forte parat.
Incolumis VIRTUS multo radiantior exit,
　　Quo magis ingemuit.
Furnus ut argentum probat explorator & aurum,
　　Splendidiusque facit;
Sic quoque tu splendes inter mendacia maior
　　Desidis invidiæ.
Livor at infelix inhonesto saucius ictu,
　　Vltor & ipse sui:
Supplicium de se sumit proiectus in umbra,
　　Est iecur ipse suum.

Quasnam

Quasnam calumnias reſorpſerit Invidia.

ODE XVII.

NOn erubeſcis Livor ignaviſſime,
Stas inverecundus foris?
Poteſne tot regluciens calumnias,
Sufferre conſpectum fori?
Redundat in caput tuum quod finxeras:
Tricæ tuæ te ſtrangulant.
En prodiit, quem tu calumniatus es:
Qui teſte conſcientia
Stat abſolutus, & bonorum calculis,
Et omnium ſententia.
VIRTUTIS argumenta & innocentiæ,
Jam diluunt fictum nefas:
In teque deprehenditur de patria
Doloſa nundinatio:
Traducta Maieſtas, & ipſis mortuis
Convitiaris Regibus.
Nam dignitati detrahis viventium,
Elingvibusque manibus.
Tu factione Sarmatas Diûm genus,
Tumultibusque concutis.
Jo triumphe, vicit innocentia:
Periclitantur æmuli:
Siletque Livor cum ſuis rumoribus.
Jo triumphe nobilis.

Quod

Quod Livor absentem rodat, præsentem Virtutem pertimescat.

ODE XVIII.

UT nigri lemures nocte sub horrida,
Sol dum sanctus abest æquore conditus,
Pascuntur tenebris, sæpeque territant,
Et ludunt hominum pallida corpora.
Sol dum purpureo prodit & emicat
Auroræ thalamo, nox abit humida,
Larvarumque choros occiduo refert
Orbi, cum nebulis ima petentibus:
Cessant insidiæ, lux fugat aurea
Nocturnas Furias, & Genios malos.
Te nox atra timet magne Diespiter,
Nec solare iubar Styx fera sustinet.
Sic Livor querulus, dum facies abest
VIRTUTIS, fremitus excitat improbos,
A tergoque bonos exagitat viros,
Audax atque catus fingere crimina:
Interdumque minax rem vocat ad saga,
Pacis sæpe canit tempore classicum,
Dum securus abest hostis & inscius,
Vel ridet fatuam sæpe ferociam.
Sed postquam radio fulgida proximo
VIRTUS emicuit, sidus ut inclytum:
Dum plena facie prospicit ardua,
Præsenti penetrans omnia numine;
Maiestate sua territat æmulos,
Connivent Furiæ, protinus occidit
Livoris miseri tota protervitas,
Fulgorem fugiens intolerabilem.
Ieiunasque minas atque ferociam
Rideres alacris spleneque libero;
Cernens invidiæ castra fugacia,
Et murem tumidis montibus editum.

Peroratio ad Juventutem, ut contemnat Invidiam

ODE ULTIMA.

VOs igitur Iuvenes moneo, ceſſate morari
Livorem miſerum; ſed pergite ferre labores,
Ærumnasque graves, & ne deſiſtite cœptis.
Sibilet ille licet, feriat ſtridoribus auras;
Regia vos tutos nihilominus orbita ducat
Culmen in ætherium, placidam VIRTUTIS in arcem.
Non tolerabit iners & nodoſiſſima ſerpens
Cernere vicini torrentia lumina ſolis.
Donec enim conſveta petent ſpineta colubri;
Dumque occultabunt horrentes aſpida vepres:
Dumque latet ſitifer ſpecubus Melanurus in arctis;
Semper livor edax nota latitabit in umbra.
Et velut à magno confixus Apolline Python;
Sic cadet invictæ Livor VIRTUTIS ab ictu.
Atra quidem vobis caudamque trahentia nigram
Semper ſunt, vel Pythagora monitore, cavenda,
Non metuenda tamen; Sed tanquam ſæpe viator
Quem fugit incedens, inventum conficit angvem;
Sic quoque præclare factis torquendus, ut horrens
Intereat Livor, vel certè latret in umbra.

AD MECOENATEM.

MAgno cum Iove Regiam Deorum
Magnis fert humeris onuſtus Atlas.
Tu molem patriæ, piumque pondus,
Mecœnas, humeris beate geſtas,
Aſſervasque ſuo Iovi Polonos,
Regnum virgineo integrum nitore.
Ergo qui Tibi non favet Patrono,
Certe nec patriæ favet ſaluti.



SIMON

SIMON SIMONIDES
ADAMO BURSIO.

BURSI, ſepultam dum excitas vetuſtatem,
Ars differendi quâ vigebat antiqua,
Quam maior uſurpabat & minor Zeno,
Quam cæteri, qui ab hac propage deſcendunt,
Stoæ magiſtri, argutiis viri inſignes,
Quos ipſe Tullius ſecutus hac parte eſt,
Hac parte Tullius hactenus patens nulli,
Obſcuritatis tanta preſſerat nubes,
Hanc tu ſepultam dum excitas vetuſtatem,
Vtcunque vim laboris improbi exhauris,
Dum ſparſa in unum membra corpus effingis,
Et diſſipata congeris novo nexu,
Non laudis inde maximum decus ſumis,
Candore quantum quod fateris integro,
Quo fonte demanavit hæc ad te cura.
Sic candor olim fulſit optimi vatis,
Cui ſcriptitaſſe fabulas viros ſummos,
Primos Senati, Principes duellorum,
Rumor ferebat, ipſe nec refutabat.
O te beatum, cui frui ore conceſſum eſt
Zamoſciano, atque inde pulchra libare
Dictata. vives illius bono, vives,
Geniique te eius penna proferet famæ.
Illum ô beatum, poſt duella, poſt pugnas,
Negotiorum poſt tot arduas moles,
Poſt publicam rem ſtrenua arte curatam,
Cui eſſe ſummo vel minutis iſtis
Evenit, in queîs ſæpe conterunt totam
Plerique vitam, nec gradum movent ullum.
Tantum antiſtare Principes viros verum eſt,

Quos in iuventa rite Musa nutrivit.
Præ cæterorum seriis, ut ipsorum
Ludicra, rerum pondus auferant maius.
Sic gentis Romulæ unicus victor,
Inter tubas, interque ferreum Martem,
Linguæ nitelas connotabat, ipsosque
Fandi magistros provocabat ad palmam.

SIMON SIMONIDES

AD SUOS CIVES.

Canente J. E. MINASOWICIO *Can: Cath: Kiov.*
S. R. M. Secr.

ILle ego Sarmatiæ Vatum lux maxima, Cives!
Qui vestrûm immemori mente sepultus eram:
En venio in dias iterum nunc luminis oras,
PRÆSULE mî Magno restituente diem.
Jamque alis famæ volito perque ora meorum,
Ora per externûm, munere Præsuleo.
Hinc redivivus ego: DIVINUS, at ille DURINUS
Qui tribuit vitam, iure vocandus erit.

IO: AN-

IO: ANDREÆ IANOCKII CAN. CATH. KIOV.

BIBLIOTHECÆ ZALUSCIANÆ PRÆFECTI,

PRÆPOSITI BABIMOSTENSIS

DE SIMONE SIMONIDE,

POETARUM POLONORUM

PRINCIPE,

BREVIS SED ACCURATA NARRATIO.

ROxolanicarum urbium regina, Leopolis, fœcunda illa ingeniorum pulcherrimorum parens, benignaque altrix, Sarmatarum Pindarum, id eſt, SIMONEM SIMONIDEM protulit. Pater eius, SIMON nuncupatus BRZEZINENSIS, Vir Conſularis, ſummaque auctoritate, in eadem urbe fuit. Græcis ille, Latinisque litteris excelluit. Filiumque ſuum, de ungvi tenero, erudivit ipſe inſigniter. Ephebum autem factum miſit Cracoviam, ingeniis maximis, doctoribusque præſtantiſſimis, ea tempeſtate affluentem. Dedit ibi optimis omnibus doctrinis admirabilem operam. Emicuit tamen flagrantius, in ipſo, poëtices ſtudium. JOANNISque COCHANOVII, Poetæ florentiſſimi exemplo incenſus, PINDARUM legit avidiſſime: ipſumque imitari auſus eſt grandi auſpicio. Aggreſſus enim, eo tempore, difficile divinumque opus eſt, quod DIVUS STANISLAUS inſcribitur. Illoque carmine, magnorum omnium, clariſſimorumque hominum oculos, animosque in ſemet convertit. Inſinuavitque

que ſeſe, ad venerabile Theologorum Oratorumque par, JACOBUM videlicet GORSCIUM, atque STANISLAUM SOCOLOVIUM. A SOCOLOVIO quidem, fortunæ pariter atque ingenii divitiis abundanti, ſingulariter amatus eſt: menſæque ſuæ, conſuetudine ac voluptate quadam perpetua, adhibitus. Huius etiam viri conſilio operâque, in JOANNIS ZAMOSCII, ſummi Poloniæ Cancellarii, copiarumque Polonicarum Imperatoris maximi, conſpectum prodiit. A quo mox, propter multam ſuavitatem ingenii, carminisque & dulcedinem, & magnificentiam, mirum in modum dilectus eſt: inque conſortionem atque familiaritatem penitiorem receptus: nec ante ingraveſcentem ætatem à latere ſuo dimiſſus. Eiusque, & itinerum, & bellorum, periculorumque maximorum, comes aſſiduus fidusque: illuſtrisſima ipſius facinora, diviniſſimis celebravit carminibus. Quarum rerum nos maxime, SIMONIDÆ ipſius ÆLINOPÆANA, documentum æternum habemus. Tulit & ille, ab Heroë, Mœcenateque inclytiſſimo, laboris atque virtutis præmia digna. Donatus enim, ab ipſo, in Roxolania eſt rure pingvi & amœno. Eiusque rogatu, à SIGISMUNDO III. Polonorum Rege, prudentiſſimo litteratiſſimoque ipſo Principe, nobilis creatus. Atque à Maximo, ſapientiſſimoque atque doctiſſimo Romano Pontifice, CLEMENTE VIII. corona condecoratus laurea. Obtento Nobilitatis honore, BENDONSCII cognomentum aſſumpſit: quo tamen in editis operibus ſuis haud frequenter uſus eſt. SIMONIDI huic, ZAMOSCIUS ille magnus, morti proximus, filiolum unicum ſuum, THOMAM nomine, bonis litteris moribusque imbuendum, inprimis commendavit atque concredidit. Eiusque præceptis, incitamentisque, THOMAS ille, genitorem ſuum, humanæ ſapientiæ virtutisque ſpecimen abſolutum & perfectum, feliciter adæquavit. Vivoque

que adhuc præceptore, peradoleſcens præaltum in Republica Kiiovienſis Palatini locum conſcendit. Regni deinde Sigillum minus aſſecutus eſt. Cancellarii ſupremi miniſterium ætate provecta adeptus. Præter ipſum SIMONIDES, JACOBUM quoque SOBIESCIUM, Lublinenſis Palatini filium: immortali merito Cracovienſem Caſtellanum creatum; doctiſſimum illum atque graviſſimum Regni Senatorem, inter eminentiores Poloniæ auctores, editis nitidiſſimis CHOTINENSIS BELLI COMMENTARIIS præfulgentem: IOANNIS III. fortiſſimi inviƈtiſſimique Polonorum Regis Patrem: diſciplinæ ſuæ alumnum habuit. Cæterum ipſe, quamvis principum virorum amicitia, præ aliis, in patria ſua floreret, & gratioſus eſſet apud omnes ordines; nil tamen magnum ambivit. Extremamque ætatem ſuam, partim Leopoli, partim Zamoſci, partim in prædio Cernecenſi, quod à Mœcenate ſuo acceperat, in otio traſegit. Vixit tunc temporis, cum ADAMO BURSIO, Philoſopho atque Oratore magno: THOMAque DRESNERO, egregio Juriſconſulto: & IOANNE VRSINO, Medico atque Mathematico excellenti, intimè. Potiſſimum tamen ſeneƈtutis ſolatium, dedit ipſi Bibliotheca ſua, leƈtiſſimis utriusque linguæ auƈtoribus abunde inſtruƈta. Quam GEORGIUS DOUSA, Belgarum litteratiſſimus atque politiſſimus, magnopere admiratus eſt. Namque ille Conſtantinopolim iturus, Leopoli aliquamdiu conſtitit: iucundo ac liberali hoſpitio à SIMONIDE detentus: ab eoque, eruditorum hominum more, bene paſtus refeƈtusque. Exſtat huiusce rei, in DOUSÆ illius, DE ITINERE SUO CONSTANTINOPOLITANO, AD IANUM DOUSAM, PARENTEM SUUM, EPISTOLA, honorificentiſſima mentio. Mortuus SIMONIDES Noſter eſt, A. R. S. M DC XXIX. Ætatis ſuæ annum primum ac ſeptuageſimum exceſſit. Oſſa eius, in Baſilica Zamoſcenſi, Heri ac Mœcenatis ſui cineribus ſacris appoſita ſunt. Sicut remotiſſimus

tissimus à studiis ambitionis: ita nec mansuræ post fata gloriæ cupidus fuit. Nimis pæne negligens scriptorum suorum. Quibus fere omnibus caruisset posteritas, nisi amicorum eius industria ac diligentia nobis illa servasset. In divulgandis iis, amorem perennem ipsi testati sunt, collega eius, PETRUS CIEKLINIUS, magni IOANNIS ZAMOSCII scriba vetustissimus atque eruditissimus: ANDREASque SREDZINIUS, adolescens ingeniosissimus, civiliumque pariter atque bellicarum artium peritissimus, Adiutoris campi honore à ZAMOSCIO adornatus: itemque STANISLAUS GROCHOVIUS, Crusviciensis Ecclesiæ Collegiatæ Custos, carminis vernaculi fama celeber: & SIMONIDÆ ipsius, sororis filius, GASPAR SOLCIUS, Medicus bonus, Poëtaque haud spernendus. Lyricis eius palmam ipse tribuit, nobilissimus illius æmulator, ANDREAS SCHONEUS, Philosophiæ in Cracoviensi Academia Professor publicus. Effusissimè eum dilexit, inque Epistolis suis dilaudavit, STANISLAUS RESCIUS, Varmiensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, atque Andreoviensis Abbatiæ Administrator: gloriosissimorum Poloniæ Regum, STEPHANI BATHOREI atque SIGISMUNDI III. in sacrosancta Curia Romana, Legatus amplissimus. Isque, verbis amantissimis atque copiosissimis, SIMONIDEM ad visendam Italiam invitavit, veterumque Philosophorum exemplis instimulavit; sed à lare patrio distrahere ipsum persuasione nulla potuit. Sat eloquenter illum, in ILLUSTRIUM POLONIÆ SCRIPTORUM ELOGIIS ET VITIS, prædicavit SIMON STAROVOLSCIUS. De vita autem, scriptisque eius, admodum dubie exposuit. Ab exteris quidem ingeniis SIMONIDES æternitate immortalitateque donatus maxime est. A Belgarum sidere, IUSTO LIPSIO, ob Elegorum indolem divinam, cum CATULLO comparatus. A GASPARE autem BARLÆO itidem Belga, THOMAQUE SEGHETO

GHETO

GHETO gente Scoto, præclaris utrisque Poëtis, ob Lyricorum vehementiam maiestatemque, PINDARO par existimatus. Horumque instinctu, sæculo superiore, Hamburgensis urbis decus, JOACHIMUS MORSIUS, Lugduni Batavorum commoratus, in inclyta illa Musarum artiumque omnium sede, SIMONIS SIMONIDÆ POËMATA AUREA, quæ tunc in manus suas venerant, cum magno applausu, coniunctim publicavit. Hacce demum nostra ætate, FRANCISCUS RICHARDUS GOETIUS Austriacus, præcellens ingenio eruditioneque iuvenis: quo adminiculatore, in administrando bibliothecarii publici munere, utebamur: nostro suasu ductuque, SIMONIDÆ omnium, quotquot in ZALUSCIANO Museo exstabant, operum editionem, diligentia ac cura maxima apparavit. Quæ tamen, calamitate intercedente bellica, lucem non adspexit. Constitutum enim quasi divinitus fuit, ut SIMONIDÆ felicitati cumulus, ab eminentissimo temporum nostrorum ingenio adjiceretur: ab ipso inquam Apostolico, ad Orthodoxam Regiam Maiestatem, atque Rempublicam, Nuncio Ordinario, Ancyranorum Archipræsulum maximo, ANGELO MARIA Comite DURINI: Sarmaticis Musis carissimo, omnique ætate ac memoria venerando, sancteque colendo. Antistes namque doctissimus ille, magnanimusque, & ad iuvandas, altiusque provehendas elegantiores litteras alacerrimus, divina omnia SIMONIDÆ Pòëmata, nunc in lucem insimul revocat. Princepsque ipse Vates, Pòëtam principem, cultu producit Pòëtico exornatissimum. Nos cœlestissimas illas manus, quæ litteratæ Poloniæ principale decus suum restituunt, ardore religiosissimo exosculamur. Supplicesque à DEO Optimo Maximo petimus, ut tantum litterarum Statorem, Musarumque Præsidem, diu servet incolumem.

catam conſervaverimus. Dabit etiam Zamoſcidæ, ſicut antea dedit, catum, ut ais: cor, pectus adamantina firmitate munitum, robur capax laborum, mentem conſiliis fultam fidelibus

ὅ μεγας δὲ κίνδυ-
νος ἄναλκιν οὐ φῶ-
τα λαμβάνει.

qui à cervicibus chariſſimæ patriæ vim barbarorum immanem furiasque Saracenas avertet. Odium etiam imbellis ævi, & rigentis ferri amorem, iuventuti Polonæ tribuet, ut ne cruorem tuens fuſum horreat, ſed crudelibus efferra ſtudiis, divinorum honorum ſtrages vindicet, nec abnuat Cadaverum

Referre pacem Chriſtianam
Priſtinam magnis cumulis redemptam

(vide an tua legerim) idque nos ſperare, & expectare iubet, cum ipſius Regis pietas omnium vocibus percelebrata, tum ea quam veriſſime prædicas, quamque univerſa patria liquidiſſime perſpexit, Zamoſcii altitudo.

Porro quæ mihi deſtinaſti, quæque adhuc parturis: utinam cito parias. Narro tibi Simonide! ad oculos ſitientes venient. Interim ad beatorum cineres vota faciam, ut tibi det Dominus vitam quam mereris, & conſervet animum quem dedit: huic porro adiungat, ut tuus Pindarus loquitur μελιτόεσσαν εὐδίαν. *) Vale. Nos ama, nec amare deſine. Dat. Romæ 28. Martii 1590.

Ex Epiſtola XLV. ad Socolovium.

Et Simonidem noſtrum omnium Charitum, Gratiarum, Nympharum, Syrenarumque nomine Neapolim invitabis. Noſtrum enim nomen vix apud illum tanti, qui ne Andreoviam quidem. Vale, Neapoli Idib. Auguſti 1592.

(*) mellitam tranquillitatem.

SIMONI SIMONIDÆ

POETÆ LAUREATO.

Epistola LIIII.

NE vivam Simonide, si mihi missa abs te salus salutem non attulit: & quæ ad eius comitatum adiunxisti, teque materiaque digna poemata. JOHEL Propheta, si ligatis voluisset, tuis plane usus verbis, pedibusque fuisset: Repotia Zamoisciana, plus Nephalia & horas antelucanas, quam Dyonisia & cænas Cereales redolent: quo quidem nomine meritas te gratias à Zamoiscio recepisse non dubito, reliquarum rerum omnium, præterquam iniuriarum, memore Senatore. Vtinam huius quoque solisque, cœlique, gratæ sint Gratiæ: sed ut ut acciderit, virtutis in virtute, benefacti in benefacto præmium est. Nulla iustitiæ maior merces, quam iustum esse.

Quæ porro de rationibus tuis domesticis œconomiæque onere appinxisti, non possum non sapere te dicente, *οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος* domus amica, domus optima. *οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα* domi manere oportet belle fortunatum: aut non beatum illum vere dicier; Equidem.

Si me fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte meas componere curas.

Iisdem crede mihi, irem itineribus. Mirum quam suave suo sub tecto.

πύκνας ἀκοῦσαι ψεκάδας εὐδούσῃ φρενί.
Frequentem audire guttam securo animo.

Beatus qui procul negotiis, paterna bobus colit rura suis.

At ego prorsus non video, Simonide, quas clades possit afferre rei tuæ domesticæ, unius anni absentia: Habent suas agri quoque ferias: Amant & arva inter calares. Parit & tempestas piscatoribus ocium. Debes quidem

Patriæ,

Patriæ, debes parentibus, debes tibi, ſed debes & Muſis, quarum hic ſedes propriæ.

Quæ tibi, quod rarum eſt, vivo ſublime dederunt
Nomen, ab exequiis quod dare fama ſolet.

Notæ ſunt Pythagoræ peregrinationes, Platonis navigationes, relicta penu artium Græcia, ad Ægyptios, ad Magos, Perſas, Italos commeantium; ut earum gentium ritus, leges, mores, ſacra pernoſcerent. Quid quod & μοῦσας idem Plato dictas putat, ἀπὸ τοῦ μάω, quod omnibus veſtigiis omnia ubique ſcrutentur & inquirant. Inde menti prudentia, inde ſenſibus recreatio, inde litteris nitor; cùm multa videris, multa audieris, quæ vel ſola & nuda, & ſcientiam addunt, & iudicium limant, Longa bonæ menti ad prudentiam nulla eſt via. Ego te, ait Vlyſſes ad Achillem, prudentiâ ſuperavero multùm ἐπὶ πρότερος γενόμην καὶ πλείονα οἶδα, quoniam prior natus ſum & plura vidi. Quarum rerum copia, dubito virum alibi quam ſub hoc Sole, & in hoc ſolo maior? vbi difficile eſt, vel oculum flectere, vel ponere veſtigium, quin tibi ipſa quæ calcarunt ſola, ſummorum virorum rerumque maximarum memorias repræſentent. Crede mihi, ſaxa, montes, ſylvæ, viæ, flumina, lacus, pontes, ipſa adeo templa, theatra, ſepulchra, rudera, parietinæ, ſua quadam lingva, quod docet, quodque delectet, loquuntur.

Excitatur animus, & neſcio quomodo maior ſeipſo fit, rerum ſublimium aſpectu. Inflammat viſa, cogitataque ſæpius aliena, virtus & gloria; incurrentibus in oculos magnis illis magnorum virorum Manibus, fortibusque fortium auſis.

Si tibi per Ægypti ſolitudines, aut Arabiæ deſerta, aut monſtroſam Lybiam, aut per obnoxios Scytharum excurſionibus vaſtæ Podoliæ campos, per Scyllas, Syrtes, & Charybdes iter faciundum eſſet, ſi Catonis canterio, Hip-

poperis

poperis impositis, si vehiculo Seneciano insidendum, quod mulæ trahentes exossatæ, ambulando tantum vivere se testabantur: ipse fortasse, ut te nobis & Musis conservares; nec ulli committeres periculo, retinerem: At ita nostrorum vestigiis detrita, ita pervia facta in Italiam via est (Vituliam rectius dixeris Ιταλοὶ enim veteri Græcorum lingua Timæo & Varrone testibus, boves seu vituli appellati sunt, quorum hic olim magna copia) ita crebris oppidis, tabernis, hospitiis, distincta & coedificata videtur Silesia, Moravia, Austria, Styria, Carinthia; ut quasi quodam Suburbium Italiæ videatur; non ob aliud fortasse a natura, tam horridis rupibus interclusæ; quam ne vim suam omnem Alpini Boreæ in has amœnitates effundant.

In Italiæ porro ingressu, Venetias videbis, mari supernatantem civitatem; Urbium ocellum; Mercurii forum; Emporiorum rosam, Adriatici Dominam, Divæ Cypriæ officinam; ad invidiam pulchram, felicem, opulentam, & ævi prioris instar togatam; In qua templa, fora, palatia, in mediis fluctibus quasi seminata, stupesces usque ad miraculum superba, vias ceruleas, equos ligneos, In pisces & homines, totam divisam civitatem, Vicos & plateas pisces, Mulli, Dactili, Ostreæ, Conchylia; Domos incolunt homines; a quibus illi iam etiam loqui didicissent, si per cohabitatorum ventres producere vitam licuisset.

Inde vastum Patavium navigabis, illam artium & scientiarum stationem, insignem quondam iuventutis & officii magistram, nunc vereor ne corruptelam. Inde munitam & Circumpadanam Ferrariam. Inde studiis & urbanitati amicissimam Bononiam. Inde politissimam & elegantissimam Florentiam. Inde Senas salubres senibus, ut scis, & valetudinariis, olim exædificatas. Romam deinde pervenies Septicollem, illam Orbis Dominam, illam Urbium Reginam, Christi Vicarii Sedem, Aream & Stationem

Præsti-

Præstitum Ecclesiasticorum: Apostolorum prædicatione beatam, Martyrum sangvine purpuream, Confessorum testimonio gloriosam; quam vidisse: in qua vestigium posuisse, qui se Christianos meminerunt, partem benedictionis reputant. Stetisse, ait Hyeronimus, ubi steterunt pedes Domini, pars Fidei est, vere ut etiam Ethnicus ille dixerit.

Dignus Roma locus, quò Deus omnis eat.

Inde per felicem Campaniam, plus, ut ille ait, ungventi ferentem, quam cæteræ Provinciæ olei, Neapolim pervenies, Parthenopes tumulo claram, Nympharum sedem, Volupiæ aream, Sole soloque suo beatam. Narro tibi, sitûs amœnitate, Maris cratere, Collium corona, Insularum crebritate, Promontoriorum aspectu, plane primam, Templis, Castris, Palatiis, Præsidiis, Ingeniis, Opificiis, Arcibus, Portubus, Opibus, Frugibus, solique sui fructibus, nemini secundam. Locis porro Suburbanis, & magnis viris semper charam, & ipsis etiam, ut Gentilitas putabat, Diis immortalibus amicam, Nullum enim extra Civitatem ponere vestigium poteris, quin in magnos alicujus Semidei manes incurras. Æneam si voles, vel in Miseno, vel ad lacum Avernum umbram Anchisis Patris sui quærentem, vel cum Sybilla colloquentem invenies. Scipionem Linternis: Julium Cæsarem in portu Baiano: Pompeium in Herculeano, Neronem ad fossam Cumanam; Syllam & Tarquinium Puteolis: Marium ad caput Miseni: Octavium Augustum in Octaviano, vel in ipsa Neapoli quinquennale certamen Gymnicum spectantem: Lucullum, togatum illum Xerxem, vel ad Eupleas, vel ad Pausilippi piscinas: Annibalem Capuæ: Marcellum Nolæ: Fabium Max. in collibus Campanis, Pollium Vedionem homines ad Murenas damnantem, in Pausilippo. Alios alibi. Et si infra dignitatem duxeris, cum mortalibus in Paradiso conversari, ipsos tibi Deos olim vocatos ostendam; Saturnum in vicino Latio latentem,

tem,

tem, Minervam in Surrentino Promontorio, Plutonem, Proſerpinam, Minoem, Rhadamantum, ad lacum Avernum: Herculem in Vacculo, vel ad montem Baulum, vel in Pompeiano armenta paſcentem: Nymphas in Nyſita, Syrenes in Capreis. Crede mihi, vel ſola iſtiusmodi veſtigiorum inſpectio, magna prudentiæ mater. Et quia ceſſator eſſe non ſoles, ſi forte quid abditum in natura libebit adhuc quærere, Plinii manes in Pomponiano ad Veſuvii radices conſulemus; Aut is, aut alius nemo nobis aperiet, non ſine fructu fortaſſe eius, quæ te Leopoli & diſtinet & detinet Oeconomiæ tuæ; quomodo quercus noſtræ transformari queant in vites, bonum vinum ferentes: quod fieri poſſe Magnus Albertus putabat; aut, quomodo queant arborum culmina hordeum producere; quod in Mæſia Antonini Pii tempore factum legimus: aut cur pinus Ravenatenſes cum nucleis, Andreovienſes conos producant, ſine nucleis. Aut quæ ſit illa Regio ultra Alpes, in qua ſiligo poſt biennium convertitur in triticum (ô nos opulentos!) aut ubi Raſanum adeo excreſcat, ut infantium puerorum magnitudinem ſuperet, aut qua arte curari rapæ poſſint, ut ſingulæ quadraginta libras ponderent.

Licebit & hoc expoſtulare, cur vitio vertat Septemtrionalibus populis, quos barbaros vocat, quod Vrorum cornibus binas urnas tenentibus bibant: cùm apud ſuos Romanos Milo cadis, Phagus in menſa Vitellij, plenis urceis, tantum vini hauſerit, quantum Cætus marinus vaſto non hauſiſſet corpore: Nonne & hoc notiſſimum, Romanos bibiſſe pateris; ab eo dictis, quod latius pateant? Varro teſtis. Nonne ter tria pocula multiplicabant? Auſonius teſtis. Nonne amphora? Svetonius teſtis. Nonne Græco more, maioribus ſcilicet poculis? Cicero teſtis. Nonne pro ſalute Principum? Dio teſtis. Nonne in gratiam abſentium amicorum? Tibullus teſtis. Nonne tot cyathos,

quot

quot fuissent in amici nomine litteræ? Martialis testis. Nonne in orbem à summo ad infimum? Atheneus testis, qui hoc genus vocat ἐν κύκλῳ πιεῖν. Nonne propinabant? Homerus testis. Nonne nivem? Martialis testis: Quin & fidem homini per errorem lapso faciemus, quod Septentrionales populi cerevisiâ, vel ut ille vocat, hordeaceo vino temulenti, non semper in tergum cadant, quod ille scriptum reliquit: sed in omnem partem, ante, retro, proni, supini, ad dexteram, ad lævam, sine discrimine labantur. O quantùm tanto viro ad eam, quam profitetur rerum omnium cognitionem defuit, Ebrium cadentem nunquam vidit. Habebo & ego quod cum multiscio Philosopho expostulem, Cur matutinam vrinam calidam pedibus instillatam, & infelix appositum Lolium prodesse podagricis putavit, cum nobis non prosit: aut, quod nunc ad te scribens in hortulo meo demiror, cur cæteræ arbores omnes floreant sola ficus non floreat.

Si flos orationis, & gemmata verba delectabunt, vel in domo sua Rabiriana, vel in villa Neapolitana, quam Silius Italicus ipso mortuo emerat, vel in Baijs, de quibus Ovidius.

Nullus in Orbe locus Baijs prælucet amænis.

Magnum illum Ciceronem disserentem audiemus; ex eoque cognoscemus somnium Scypionis, somniumne fuerit, an Insomnium, an Visio, an Oraculum, an Phantasma; an geminæ portæ Somni: an earum altera cornea.

Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Licebit & hoc é tanto viro quærere, cur Orationes suas non combusserit potius, salutem promittente Antonio, ut se Musis & Reipubl. conservaret, quàm caput præcidendum à se defenso Popilio cum tanto Doctorum dolore dederit.

Si tuis Poetis loqui licebit: Homerum in Cumis invenies. Forte hoc sæculo nobis revelabit, quâ Patriâ, qui-

Uu busque

busue Parentibus natus ſit, quod prætérquam Appioni Grammatico, nulli adhuc mortalium revelaſſe memoratur; ea tamen lege, ne cuiquam ſecretum ſibi creditum patefaceret; ſeptem quod noſti de eius nativitate contendentibus Vrbibus. Quis ſcit? an non & illud enodabit ænigma, quod in Chalcide ad Amphidamantis Poetæ celeberrimi exequias propoſuit.

Muſa mihi memora, quænam nunquam ante fuerunt,
Poſtque futura haud ſunt.

Quæremus & hoc, cur immenſo riſu cum cæteris Diis riſerit potius quàm doluerit Iupiter, videns filiam ſuam Venerem in amplexu Martis dormientem, prudentis Vulcani vinculis circumfuſos, riſuique Deorum propinatos. Aut cur ex Jovis cerebro, armata nata ſit Minerva. Aut cur Apollo cum cæteris Diis beatis, non interfuerit in Nuptiis Achillis; Aut cur mures equeſtres copias contra ranas non eduxerunt. Vel cur non comedant raphanos, caules, cucurbitas, betasque virides. Cauſam quoque petemus, cur huic Soli non oculos tantum, ſed & aures tribuat, nec tantum intuentem, ſed omnia etiam faciat exaudientem.

Vergilium quoque in colle Pauſilippo curæ mœrorisque expertem, convenire poteris. Forte quod olim tacuit, ne Romanos rerum Dominos proditoris Gentilicios faceret, hoc tempore nobis aperiet, Æneasne pius an Sinon Siſiphius Troiam infelicem prodidit; Aut cur Juno ſummi ſoror Jovis & coniunx, Æneæ Veneris ex eodem Jove natæ, filio, ita fuerit inimica; an forte ignoravit Romanos ex eius poſteritate ſurrecturos, coniugis & mariti ſui tam ſuperſtitioſos cultores. Et ſi forte extra Heliconem ſine ſtylo & pugillaribus; hominem ocioſum viderimus. Libebit & hoc quærere, Cum & Bucolica quæ ſcripſit, & Georgica, & Æneida, paulo plus ultra octuaginta ſex millia & quadringentos pedes contineant, immo & ipſius Homeri tam Ilias

quam

quam Odyssea, vix excedant centum septuaginta pedum millia, supra trecentos; fieri ne possit, ut duo sola Heroica carmina decies centena supra quatuor pedum millia contineant? Si tam catus Poëta ignorabit; exemplum proponemus, sub Alpino Borea natum.

Mille boves pascunt vitulorum millia centum,
Musca super vitulum quemlibet una sedet.

Si Musica delectabit?

Monte sub aerio, qui nunc Mysenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.
Mysenum Æneanum tibicinem dulci canentem
STRINGA AUDIEMUS.

Si scire futura? sicut Æneæ sic & nobis Sibilla Cumana, quæ venient, revelabit. Forte & præterita, quæ scilicet rerum facies fuerit antequam χθόνα δατέοντο Ζεὺς καὶ αθάνατοι terram partiebantur Jupiter & immortales: Quid ais? Aut ab ista vate, aut ab alio nemine cognosces, cur Jupiter, quod fiet adulterinum, signa dedit aperta inter homines.

Sed quo queat signo malus cognoscier?
Insitus nullus character corpori.

Bellica forte studia libebit inspicere, Magnum tibi certamen Liberi Patris cum Cerere tota Campania ostendam.

Si & vastos Gigantes, & Iliacas Patris Æneæ naves, Ænariam, Græcis Pythecusam, nunc Hischiam dictam navigabimus, Typhæi centicipitis Gigantis, Jovis icti fulmine, nobilitatam Insulam, aut circa Vesevum interdiu & noctu oberrantes videbimus.

Si & veteris morem Lybitinæ, Myseni ad Mysenum inspiciemus exequias, pyram pingvem tædis & robore secto, frondes atras, ferales cupressos, arma, ahena, latices, purpuras, feretra, faces aversas, thura, dapes, crateres, olivas, flammas, undas, vina, cineres, ossa denique & favillas, cado tectas aheno.

In reditu ſi voles & Labyrintum, & Dædalum volantem, ad Centumcellas; & paludem Acheruſiam, & Cerberum tricipitem & Ditis mœnia & eburneam portam, & auricomas ilices, apud Cumas invenies; forte & ferreos Eumenidum thalamos: & Centauros ſtabulantes, & Scyllas biformes, & Briareos centum geminos, & Lernas ſtridentes, & armatas Chymeras, Gorgonesque Harpiasque & illum terribili ſquallore Charontem, cui plurima mento canicies inculta iacet, & ſuccinctam Tyſiphonem; forte & Minoem vitas & crimina diſcentem, Gnoſſiumque Rhadamantem.

Inde Puteolos divertemus, ubi ſua ſcripſit Herodianus Sympoſia; Iuvabit ex eo cognoſcere, cur in ædem Herculis, nec canes unquam nec muſcæ intraverunt; vel quomodo Architæ Tarentini lignea columba volaverit; aut cur olim Neapolitani Apollinem imberbem, Liberum Patrem barbatâ ſenilique facie, totâ Campaniâ fingebant; Cum idem ſit Liber Pater & Apollo. Forte etiam narrabit, quid Syrenes cantare ſint ſolitæ; aut num veris lachrimis Julii Cæſaris equi fleverint.

Libebit & hoc quærere, an per leges gladiatorum, ſecutorum, venatorum; Gallienus Imperator donare venatorem corona potuerit, quod taurum ingentem decies in arenam, è cavea perductum, decies ferire non potuerit. Taurum dicens, toties non ferire difficile eſſe. Aut, an impoſtura dici debeat, quod in negociatorem impoſtorem, ad Leones, uxoris rogatu, damnatum, quod illi gemmas vitreas magno precio vendidiſſet; Pro Leone, medio theatro Caponem ex cavea dimiſit; nil aliud, rem ridiculam mirantibus, reſpondens, quam impoſturam fecit, impoſturam passus eſt; ac ita impunitum dimiſit. Licebit & mare inter Baianas & Puteolanas moles 3600. paſſuum ponte, ad Xerxis imitationem, qui Helleſpontum ſinu Baiano anguſtiorem contabulaverat, in Appiæ viæ formam à Caligula ſi-

lice

lice ſtratum inſpicere: quem ſi poſt decurſum phalerato equo pontem: deiectosque de eo ſpectatores, aut canticum deſaltantem, aut aurigantem, aut reorum defenſiones meditantem, animo quietiore, invenerimus; quærere ſecurius poterimus; cur Homeri & Virgilii carmina & Livii hiſtoriam voluerit abolere; aut cur Senecæ doctiſſimi ſcripta, arenam eſſe ſine calce dixerit.

Domitianum ad Atellam videbimus. Licebit cum eo expoſtulare, cur devictis Sarmatis Lauream modò Capitolino Jovi retulit, cum tamen Sarmatæ legionem eius cum Legato ſimul ad internecionem deleverint. Et ſi ſagittas habebit ad manum, quorum præcipuo ſtudio tenebatur; patriæ tuæ more licebit experiri, uter veſtrûm melius tantaque arte iacula dirigat, ut palmam dextræ manus pueri procul ſtantis pro ſcopulo diſpanſam non lædat; ſed per intervalla digitorum, nulla ſecuta læſione miſſas ſagittas penetrare faciat; aut ardentem candelam ceream, ſupra frontem ſtantis pueri applicatam, iacto iaculo extinguat; quod noſtris Catholiciſſimis Maſovitis ſolemne eſſe non ignoras; illo, quo ſcis, tempore.

Si forte animus diſcendo, oculi ſpectando, pedes ambulando dolebunt, ad ocioſas te Capreas quietis cauſa mittam, Apraxopolim ab Auguſto vocatas; ubi Tyberium contemptiſſimæ inertiæ Principem ſalutare, garrireque omnia poteris quæ ſolent ſubroſtrarii: rogare præterea, utrum in eius Bibliotheca extet adhuc Aſelii Sabini Dialogus H. S. ducentis, ab eo emptus: in quo boleti & ficedulæ, & Oſtreæ, & Turdi certamen induxit: aut eiusdem Tiberii Lyricum carmen, quod inſcripſit, de Julii Cæſaris morte Conqueſtio. Tum & illud, quæ cauſæ tam inſolitæ legis fuerunt, ut ieiuni homines biberent; potusque vini cibos antecederet. Aut quo præcipue meri genere, Tarentinum enim ut generoſum acetum, & nobilem vappam, oderat;

in ſua

in sua delectabatur iuventute: aut cur vitrum solidum & argenti instar flexibile, ad Lacum Lucrinum, trucidato inventore, & ipsa etiam dissipata fornace, parari vetaverit. Forte causam quoque dicet, cur tonante cœlo lauro coronabatur; aut in tontendo capite servaret interlunia; & hoc etiam, tantundemne nocte illuni, quantum claro die cerneret, & reliqua istiusmodi multa libere tibi garrire cum Principe ante mortem sepulto licebit, aut nullas, aut ineptas, aut luxuriosas, aut ridiculas res in Capreis agente.

Jam, ni fallor vides, quàm multæ in tuo ad nos adventu utilitates, quàm præcipua habebis in his oris enucleata paradoxa: quàmque multarum rerum abditarum efficiemur gnarures.

Quò magis operam dabis, ut venias; nec illud amplius putidum nobis occinas: Mirum est quam sum occupatus; aut ego tam inviso verbo, lumbos defractos curabo.

Narro tibi, hospitem invenies, mentis & frontis apertæ, scis & in superciliis animi partem habitare. Fumum tuâ causâ maiorem, vicinia non videbit. Mensa tibi ponetur sobria, frugalis, qualis oblato solet, non invitato hospiti; post quam non magnæ reliquiæ, vix & lavandæ manus: Non ave Phasianâ, Argivâ transportatâ carinâ, non Rhombo patenti, non bilibri mullo, non accipensere toto empto patrimonio, non Cedride succo, non Leucophago, non Limoniaco pultario, non Amygdalina placenta, non strutea cotonea, sed maiorum more, assa bubula & porcina subrancida instructa. Rapæ, olus, pultes, cænam claudent. et si integram famem attuleris, ovum apponetur. Sed neque lectos expectabis eburneos, Culcitra in terra, & tu in Culcitra. Da igitur operam ut venias, Nam & epistolam hanc hilaritatis plenam dare ad te propterea volui, ut iam etiam cœli huius solique hilaritatem & amœnitatem delibes. Petasumque statim, penulamque poscas; Te expecto. Vale. Neapoli. Kalend. April. 1594.

ANGELI

ANGELI DURINI

ARCHIEPISCOPI ANCYRANI

NUNTII APOSTOLICI

ODA

IN LAUDEM

ARTIS TYPOGRAPHICÆ

Ad numeros Horatii Ode VII. Lib. I.

LAudabunt te alii Vates Statuaria, quondam
  Heroûm votum atque voluptas,
Compingis solidos quæ artus, & corpora vera
  Materiâ superante senectam:
Quæ Domitori Asiæ Juveni pro mille trophæis
  Lysippum officiosa dedisti,
Romano Victori orbis simulacra Tyranno,
  Traiano æternamque columnam.
Teque alii, Pictura, rotundo carmine dicent
  Quæ soror es germana Poesis,
Expressisse animas solers in imagine ficta
  Et vivos appingere sensus,
Palleat ut metuens, lymphatus ut ardeat, ore
  Huic risus sedeat, dolor illi

Naturam;

Naturamque omnem brevibus laquearibus arctans,
Quam non lædat hyems, neque venti.
Mî neque tam Pictura, sacræ soror alma Poësis,
Delicium quæ nobile Regum est
Arridet, nec tam Heroûm, statuaria, votum,
Quæ cautes, fusumque metallum
Instruit ad voces, facundaque marmora reddit;
Ars quantum præclara Typorum
Dædaleis operis edit quæ in luminis auras
Quidquid apud Grajos, Latiosque,
Atque alias Gentes, uberrima secla Sophorum
Chartis illevêre disertis,
Sive velis res Divinas, sive aurea Legum
Scita, potestatesque salubriûm
Herbarum, aut Vatum cantus: labor iste stupendus
Ingenii in fœtus tenet omnes
Supremum imperium, Musisque ingentia confert
Commoda, doctrinæ atque repertis.
Aonides quare loca sæpe industria visunt,
Et formas cœlataque signa
In ligno, vel liquentis fundamine plumbi at-
-tingere amant, urgentque laborem
Sudantûm, foliisque nitentia texta parantûm.
(*) Iste notas quarum indiget usus
Cellâ quamque suâ vocat, & discrimine longo
Digerit: obvius ille abiegnas
Supponit tabulas; alii de more per artem
Compositas, mox vectibus æreis
Includunt acies, fors præceps ne qua vagetur,
Neve loco importuna vacillet
Atque anceps: pandunt alii stridentia præla
Et spumis nigrantibus ungunt

Litterulas

(*) Describitur ars Typographica.

Litterulas. ſunt humentem queis cura papyrum
Sternere; ne quis apex malus obſit
Adverſis habilem atque ſtudent protendere ſignis,
Ferrea tum bene clauditur alvus
Itque reditque viam ſub prælis: concipit intùs
Charta nitens nigrantia miris
Sed ſimulacra modis: ſpatiis æqualibus ora
Jamque palam exertat, ſpecimenque
Oſtentat: Cenſor ſubit inde ſeverus, & omnes
Explorat latebrasque ſitusque,
Squallida ſi qua manet, ſi qua aut minùs emicat; atrâ
Vel latitat nimis obſita nube
E medio movet, & turbam execratur inertûm,
Succedunt & data munia præſtant
Mox aliæ. demum perfectum & fronte ſerenâ
Exit opus, perque ora virorum
Evolat, excipiunt Muſæ plauſuque, lyrâque,
Fama ſinu fovet ipſa virenti
Vivaci atque ornans genio ac Parnaſſide lauro
Innumeros defendit in annos.
Salve magna parens librorum, ars Dædala ſalve,
Inventa quæ à Teutone primum es:
Orſu humili, ſed mox annis labentibus aucta;
Sanctarum tu ſola recludis
Dulces Aonidum ſcatebras, ſitientia mulces
Doctorum tu labra virorum;
Jugis amor tibi cum Muſis, æternaque conſtant
Fœdera; te Phœbus colit, atque
Mutua tu Phœbum; ſtudiis certantibus ambo
Inque vicem flagratis amore;
Ipſe tuas memor in laudes eo carmine quamvis
Imbelli, cytharâ inque diſertâ

Simonis dum Simonidæ ſcripta aurea (*) Mitzler
Conſpicuis dat vivere formis
Illum pulchra tuis voluiſti excellere donis,
Ut de te traheret quoque famam,
Ingenio illius ſummo Tuque uſa viciſſim
In lucem conſpectior ires.
Semper honore novo, ſemper cumulata figuris,
Salve iterum ars ô Dædala ſalve.

(*) Laurentius Mitzlerus de Kolof in Regis Poloniæ Aulâ Conſiliarius, Regni Poloniæ Hiſtoriographus, omni ſcientiarum genere Illuſtris.

F I N I S.